9. h. 112

Digitized by Google

DE ECCLESIA
ET
EPISCOPIS
ANCONITANIS
COMMENTARIUS
IN QUO
UGHELLIANA SERIES
EMENDATUR, CONTINUATUR, ILLUSTRATUR

OPERA, ET STUDIO

FAUSTI ANTONII MARONI

CLER. REG. SCHOL. PIAR.

ROMÆ MDCCLIX.
IN TYPOGRAPHIA S. MICHAELIS AD RIPAM TYBERIS.

TYPIS OCTAVII PUCCINELLI.
SUPERIORUM LICENTIA.

9. 4. 112

Digitized by Google

Digitized by Google

NICOLAO MANCINFORTIO

Anconitanorum, & Humanatenſium Epiſcopo

HUMANÆ COMITI

FAUSTUS ANTONIUS MARONUS CLER. REGUL. SCHOL. PIARUM

S. P. D.

MAgna profecto voluptas illorum eſt, qui lucubrationes ſuas ſunt edituri, ſplendidoque præclari alicujus viri nomine ornare ſe cupiunt, ſi inquirendus is diu non ſit, ſed per ſe ipſe illis facile occurrat: Si, cum eum ſelegerint nobilitate, ſapientia, dignitate, doctrina cæteriſque cum fortunæ, tum virtutis dotibus ſpectatiſſimum, vereri non de-

Digitized by Google

beant, ne audaciæ, & temeritatis notam incurrerint: Si denique inituros ſe ejuſdem gratiam, ſibi certo polliceantur. Dum igitur Commentarium hunc meum Tibi, PRÆSUL AMPLISSIME, inſcribo, tuamque auctoritatem adhibeo, in horum me eſſe numero felici quodam fato, ignorare is ſolum poterit, qui vel argumenti genus, quod pertractandum in eo ſuſcepi, minime legerit, vel qualis, quantuſque ſis, quam rerum ſatagas Eccleſiæ tuæ, quantoque tenearis amore ejuſdem ornandæ, illuſtrandæque minime noverit. Cum enim hic Commentarius, quicumque demum ſit, totus in Eccleſia, & Epiſcopis verſetur Anconitanis, quis aut non videat, Tibi uni fuiſſe ſiſtendum, qui cum Anconitanam eamdem Eccleſiam modereris tanta laude, & populorum felicitate, is unus es, ad quem fluit ipſe, per ſe nullo vel impellente, vel imperante?, aut mihi ſuccenſeat, quod viro tanto & gloria majorum, & ſuis virtutibus ornatiſſimo tam tenue munus obtulerim: cum id

ita

Digitized by Google

ita in mea poſitum fuerit voluntate, ut etiam ſit cujuſdam quaſi neceſſitatis? De tua vero gratia mihi ex hoc ipſo munuſculo concilianda quid dubitem? Ut tenue ſit, ut levidenſe, ut tuæ longe impar dignitati, atque virtuti: cum tamen in eo verſetur hic Commentarius, ut quæ inordinata, imperfecta, vitioſa hactenus fuit Epiſcoporum Anconitanorum ſeries, ex veteribus monumentis, quoad fieri per me potuit, digeratur, componatur, ſuppleatur, acceptiſſimum Tibi futurum non ſpero, ſed ſcio. Soleo enim ſæpe mihi ante oculos ponere virtutes tuas, eaſque crebris cum ſodalibus meis uſurpare ſermonibus (Quidni enim inter nos id ſæpe faciamus, cum propter inſignia in noſtrum Ordinem merita frequentiſſimus nobis occurras?) Et ſi vero tot, & tam præclaras eas videam eſſe, ut ad eam regulam, quam Apoſtolus Paulus, quam SS.Patres, quam Concilia de Epiſcopis tradiderunt, plane compoſitus videaris, adeo ut mirum eſſe non debeat, ſi Senogallien-

ſes primo, Anconitani poſtea tui Te ſummis ſemper laudibus prædicaverint, & ſingularia amoris, obſequii, cultus argumenta præbuerint, elatis, quæ eorum voluntatem perpetuo teſtatam facerent, publicis monumentis; inter eas tamen non ultimum certe locum obtinere cognoſco ardens illud ſtudium, quo ad Sponſæ tuæ ornamenta omnia comparanda, propagandamque ejuſdem gloriam vehementer accenderis. Cujus quidem rei cum plurima, & ſingularia pateant argumenta, tum nullum illuſtrius, quam quod nuper in perſcrutandis, efferendiſque Sanctorum CYRIACI, MARCELLINI, & LIBERII corporibus oſtendiſti. Etenim cum vigeret quidem in Populo Anconitano conſtans, & nunquam in dubium vocata traditio, ea in ſingulis arcis uno eodemque ambitu ferreis ſeptis undequaque ita concluſo, ut nullus ad eas pateret aditus, contineri; non deeſſent vero magni nominis viri, qui dubitarent, quique ſacras præſertim Sancti Cyriaci exu-

vias, ſiquæ forte illic ſorent, non eſſe opinarentur alicujus Epiſcopi Anconitani, ſed partem aliquam corporis Sancti alicujus Martyris Cyriaci nomine, quæ Anconam aliquando delata occaſionem dediſſet, ut ſequentibus ſæculis Sanctus idem Cyriacus Anconitanus Epiſcopus haberetur: fierique inde cognoſceres, ut Anconitanus Sancti ejuſdem Cyriaci Pontificatus denſioribus ſemper tenebris involveretur, ferre diutius minime potuiſti, hujuſmodi dubia latius pervagari, tuamque Sponſam tanto ornamento, præſidioque privari. Itaque plane intelligens, quantum luminis ad dirimendam eam quæſtionem patefacta Sancti Corporis integritas allatura eſſet, operi, quod ſuperiores Antiſtites tamdiu deſideraverant, ſed metu neſcio quo prudenti fortaſſe, ſed minus, ut arbitror, opportuno retardati aggredi auſi non fuerant, manus peculiari inſtinctu Numinis admoviſti, & votorum tuorum compos effectus es fauſte feliciterque. In hujuſmodi vero re peragenda, qua pru-

dentia

dentia uſus es, ! qua diligentia, qua Religione ! Quæ fuit animi tui voluptas, cum apertis arcis Sacra illa corpora patuerunt, præcipue vero Sancti Cyriaci, parte vel nulla, vel ex minimis ſolum aliqua, (quod ignotum non fuerat, cum in eo ipſo Templo ſupra omnium memoriam religioſiſſime cuſtodiretur) deſiderata. Quam aperte ſubortis ſtatim lacrymis, vultu, oculis, manibus ad Cœlum erectis eam ſignificaſti ! Ut te in humum ſubito dejeciſti, & ſacras illas exuvias ſenſu pietatis, qui ſatis explicari non poſſit, deoſculatus, atque complexus, quas grates pro beneficio tam ſingulari Deo ſtatim egiſti, eorumque Sanctorum opem quot ſingultibus imploraſti! Interea tamen ut Religioni ſatisfeciſti, nihil Tibi fuit antiquius, quam ut diligentiſſime perſcrutareris, ſi quod eſſet una cum ſacris corporibus monumentum, ſiqua inſcriptio, ſiquis nummus, quibus vel eorum veritas confirmaretur, vel religioſæ illius cuſtodiæ antiquitas cognoſceretur, vel Anconitanus

San-

Digitized by Google

Sancti Cyriaci Pontificatus vindicaretur. Cumque non quidem multa, nonnulla tamen inventa tunc fuerint, edi ea ſtatim juſſiſti eruditiſſimis obſervationibus egregie inſtructa, quibus & aliqua, quæ incomperta hactenus fuerant, manifeſtantur, & quæ dubia firmantur, & quæ ab hominum memoria exciderant, revocantur. Quid poſtea egeris: qua pompa, qua Religione, quo cultu ſacra illa corpora extuleris, quos teſauros in iis ornandis effuderis, qua pietate ad colendos Patronos ſuos Anconitanos accenderis, cum præſentis inſtituti non ſint, miſſa facio. Neque vero curarum tuarum in iis inveſtigandis, reparandiſque, ex quibus nova fieret Sponſæ tuæ acceſſio decoris & pulchritudinis, poſtremus hic terminus fuit. Sed cum videres acta Sanctorum CYRIACI, atque LIBERII tot fabellis, commentiſque ſuperioribus ſæculis turpiſſime deformata, in eo diligentiſſimam operam adhibendam curaſti, ut de alterius Pontificatu ſive Hieroſolymitano, ſive

Anco-

Anconitano, de alterius vero ortu, Patria, genere, vitæ ratione, obitu cognitionem certam haberes. In qua quidem re etſi ex monumentorum indubiorum defectu deſiderium tuum pleniſſime explere nequiveris, illud tamen obtinuiſti, ut denſiſſimis, quibus obruebatur, tenebris aliquantulum rarefactis lux aliqua cæperit effulgere. Itaque cum ſponſæ tuæ ornamentis amplioribus cohoneſtandæ ſtudioſiſſimus ſemper fueris, quid ego verear, ne benigne a Te ſit excipiendus hic Commentarius eidem propoſito, quantum Auctoris tenuitas patitur, ſerviens? Dum igitur ductus hac tanta ſpe ſupplex ad Te, & venerabundus accedit, tuamque auctoritatem implorat, remanet, ut & ipſum, & ipſius auctorem ab eadem deceptum nolis; Sed utrumque, qua ſemper ſoles, humanitate, & benignitate complectens eum Te eſſe confirmes, qui ab omnibus & prædicaris, & celebraris.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO.

L*Ibrum* De Eccleſia & Epiſcopis Anconitanis *a Cl. Viro P. Fauſto Maroni Scholarum Piarum elucubratum juſſu Reverendiſſimi Patris, Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici diligenter legi, quumque nihil in eo offenderim, quod a recta Fide morumque integritate abhorreat, quinimmo ſumma eruditione acrique judicio omnia perpenſa cognoverim, dignum illum publica luce cenſeo. Ex ædibus S. Calixti die x. Februarii MDCCLVIIII.*

D. Petrus Aloyſius Galletti Caſinenſis
In Bibliotheca Vaticana linguæ Latinæ ſcriptor.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR:

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacr. Palat. Apoſtol.

F. M. De Rubeis Patriarch. Conſtant. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Rm̃i Patr. Mag. Sacr. Palat. Apoſt. Soc.

DE ECCLESIA;

E T

Epiſcopis Anconitanis.

I. DE Eccleſiæ Anconitanæ primordiis Ughellius nihil : nos admodum pauca . Si traditioni habenda ſit fides , quæ a Sancto Auguſtino ad nos tranſmiſſa fuit , jacta Anconæ ſunt prima Fidei ſemina ab aliquo ex primis Chriſti , vel certe Apoſtolorum diſcipulis. *Quando* , inquit S. Doctor , (1) *lapidabatur Stephanus* , *dicitur lapis veniſſe in cubito* , *& inde excuſſus* : *inde veniſſe ante quemdam Religioſum* . *Tulit illum* , *& ſervavit* . *Homo erat de navigantibus*. *Sors navigationis attulit illum ad littus Anconæ*. *Revelatum eſt illi* , *ibi debere reponi lapidem illum* . *Ille obedivit revelationi* , *& fecit* , *quod juſſum eſt*. Hæc vera ſi ſint , a quibus pro maximo mihi eſt , quod Sanctus Doctor non abhorruerit , nemo non videt illum hominem Religioſum vel Chriſti diſcipulum , vel ex primis Apoſtolorum alumnis eſſe debuiſſe . Porro ab illo omnium primo ea occaſione colluſtrari urbem hanc evangelicæ veritatis luce , primumque exordium habere debuiſſe Anconitanam Eccleſiam nemo negabit.

Eccleſiæ Anconitanæ primordia quæ fuerint.

A Quan-

(1) Vide Serm. 32. & 33. de Diverſ.

Quantum poſtea ſemper illa floruerit, notius eſt, quam ut a me neceſſe ſit declarari.

Sanctus *Cyriacus*, utrum fuerit Anconitanus Epiſcopus ſæculo quarto: an etiam Hieroſolymitanus.

II. Sanctum Cyriacum, de quo vel primo, vel inter primos Epiſcopo Anconitana gloriatur Eccleſia, ab hac Serie Papebrochius explodit (1). Attamen, quæ ab eo afferuntur ad hanc rem argumenta, evincunt quidem illum Hieroſolymitanam Eccleſiam, ſicuti ab aliquibus creditum fuit, regere non potuiſſe, in quo nobiſcum & cum Ughellio ipſo conſentit; Anconitanæ vero Urbis Epiſcopum non extitiſſe, & ab impio Juliano Hieroſolymis, quo ſe Religionis cauſſa cum Anna Matre contulerat, nequaquam occiſum, meoquidem judicio non ſatis probat. Acta, quæ recitantur ab eo tamquam apocrypha, etiam ab Ughellio, ceteriſque, qui aliquid naris habent, vel æque damnantur, vel judicantur cum Baronio caſtiganda (2). Ea vero non ſunt, quibus fidit Ughellius, ſed aut alia, aut ſi eadem, caſtigata, & expurgata. Nihil in iis de inventione Sanctiſſimæ Crucis, nihil de Patriarchatu Hieroſolymitano, nihil de Galla Placidia Corpus Sancti Stephani Anconam tranſportare cupiente, nihil de tot illis fabulis, quibus immaniter Acta illa prima ſcatebant. Julianum Apoſtatam contra Chriſtianos dolis prius egiſſe, quam armis ſæviſſe (quo uno argumento, ut mihi videtur, Papebrochius conatur evertere veritatem martyrii Sancti Cyriaci Epiſcopi Anconitani, cum cætera, quæ ab eo afferuntur, Hieroſolymitanum ejuſdem Patriarchatum unice evertant) non adeo verum eſt, ut nefas ſit affirmare, Cyriacum una cum Anna Matre paſſum fuiſſe, eo jubente, vel conſentiente martyrium. *Ita ſe Ille*, ſic de Julia-

(1) Tom. primo Maii ad diem 4. ubi de Sancto Cyriaco.
(2) Conſule Ughellium ad Sanctum Cyriacum num. 1.

Juliano Baronius ex Sancto Gregorio Nazianzeno (1) *comparavit, ut utriſque* [dolis, & armis] *uteretur ad libitum: & licet nullo promulgato in Chriſtianos edicto, tamen tum populo, tum etiam Magiſtratibus, ipſiſque Provinciarum Rectoribus non obſcure ſignificaret, ſibi fore gratiſſimum, ſi omnes ubique Chriſtianae Religionis delerentur cultores. Quanta inde in Chriſtianos clades evenerit, ex his etiam, quae ab Hiſtoricis Eccleſiaſticis, & Patribus ſcripta ſunt, opinari cuique facile eſt.* In hac tanta Chriſtianorum clade quominus comprehendi potuerit cum Anna Matre Cyriacus, quum ambo Hieroſolymis verſarentur Dominicae paſſionis veſtigia recolentes, quod in more tunc poſitum fuiſſe apud ipſos etiam Epiſcopos teſtis Hieronymus eſt (2); adductiſque probat exemplis vir doctiſſimus, & in omni antiquitatum genere verſatiſſimus *Thomas Maria Mamachius* Ordinis Praedicatorum (3) quid poſſit obſtare non video.

III. Non ideo tamen auſim rebus certis inſerere Anconitanum Sancti Cyriaci Pontificatum. Etenim praeter traditionem, quae vim quidem haberet maximam, niſi fuiſſet tot fabulis, commentiſque turpiſſime deformata, vix ullum ſuppetere video argumentum, quo valide comprobetur. Unum hic referam, quod ad traditionem confirmandam mihi viſum eſt omnium efficaciſſimum. Tres complectitur partes, quarum prima eſt, duos in odium Fidei mactatos Hieroſolymis fuiſſe diverſis ſaeculis ſub eodem Cyriaci, vel Quiriaci nomine Epiſcopos: eoſque ad diverſam diem a pluribus martyrologiis, Scriptoribuſque commemoratos. Secun-

S Cyriacum fuiſſe Epiſcopum Anconitanum, quomodo probetur.

(1) In notis Martyrol. Rom. ad diem 22. Martii - Vide S. Gregor. Naz. Orat. 2. in Julianum.
(2) S Hieronym in proœm. lib. 7. in Ezech., ad Paul. Ep. 13., ad Marcel. Ep. 17.
(3) Orig. & Antiquit. Chriſtian. tom. 2. lib. 11. §. 4. pag. 31.

Digitized by Google

cunda: alterum ex his Hieroſolymorum, alterum vero fuiſſe cujuſpiam alius Civitatis Epiſcopum. Tertia demum: Civitatem hanc fuiſſe Anconam probabiliſſime.

Quot ſub eodem Cyriaci nomine Epiſcopi Hieroſolymis martyrium paſſi.

IV. Ad primam quod pertinet: duos ſcilicet ſub eodem Cyriaci nomine Epiſcopos Hieroſolymis martyrium diverſis temporibus paſſos, non eſt difficile, ut cenſeo, eam oſtendere. Quemadmodum enim in Chronologica Hieroſolymitanorum Epiſcoporum Serie ab Euſebio, Hieronymo, aliiſque *Judas* enumeratur, qui & *Quiriacus* in ordine decimus quintus, ultimus ex circumciſis, anno Chriſti 134. Hadriani Imperatoris 17. a Cokeba Judæo Tyranno, ut judicat Papebrochius (1), a Judæis certe, ut innuit Euſebius Hieroſolymis interfectus: Ita ex veteribus Martyrologiis, atque Scriptoribus Cyriacus alter Epiſcopus ſæculo quarto ſub Juliano Hieroſolymis pariter pro fide occiſus, quicumque demum is fuerit, negari non poteſt (2). Animadverto præterea ab aliquibus Scriptoribus, atque Martyrologiis Cyriacum Epiſcopum Hieroſolymis paſſum commemorari ad diem Kalendarum Maii; ab aliis vero ad diem quartum ante nonas ejuſdem menſis. Ex primis ſunt Martyrologia omnia Hieronymiana, Fuldenſe, Gelonenſe, Labbeanum, Svecorum Reginæ, Kalendarium Vaticanum, Rabanus, aliique. Ex ſecundis Martyrologium Romanum, vetuſtiſſimum ſanctorum Vincentii, & Anaſtaſii extra urbem ad tres fontes: Mediolanenſe II. ex Breviario Ambroſiano, Ado vulgatus, Uſuardus, Florus, Notkerus & alii. Id ego non arbitror factum, quod diverſa fuerit de emortuali ejuſdem Cyriaci die ſen-

(1) Tract. prælim. ad tom. 3. Maii de Epiſcop. & Patriarch. S. Hieroſolymit. Eccl. ex Euſ., Hieron., aliiſq. num. 33.

(2) Conſule Uſuardum, Notkerum, Martyrol. Romanum, Florum, Adonem vulgatum aliosque ad diem quartum Maii.

Digitized by Google

ſententia, ſicuti alias nec raro contigit; ſed quod eſſet ab antiquiſſimis temporibus de duplici Cyriaco Epiſcopo utroque Hieroſolymis paſſo in Eccleſia traditio. Ex tanta illa ſæculorum, quibus vixerunt, antiquitate, ex eodem Cyriaci nomine, ex eadem utriuſque dignitate Epiſcopali, ex eadem, in qua uterque paſſus eſt, urbe, facile factum eſt, ut pleri-que unum ex utroque conflarint, qui Hieroſolymis Epiſcopi munus obierit. Duos tamen fuiſſe colligere non improbabiliter poſſumus, quod, qui Kalendis Maii recolitur, ſub *Cyriaci* vel *Chyriaci*, vel *Quiriaci* quidem nomine, ſed addito *Judæ* vel nomine, vel cognomine diſtinguitur: & nulla fiat Tyranni, ſub quo paſſus fuerit, mentio: quo ille certe notatur, qui ſecundo ſæculo floruit (1). Contra vero qui quarto Nonas Maii celebratur, uno Cyriaci, nunquam Judæ [ſi Notkerum excipias, qui unum cenſet ab altero non diſtinguendum] nomine memoretur, & a Juliano Apoſtata interfectus fuiſſe aſſeratur, quo is, qui quarto vixit

(1) In Martyrol. Hieronym. Kalend. Maii ſic legitur - *In Hieroſolyma natalis* S. JUDÆ, ſeu QUIRIACI *Epiſcopi*.

In Martyrol. Reg. Svec. eadem die. *Hieroſolymis natalis* S. JUDÆ *Epiſc.*, *qui cognominatus eſt* QUIRIACUS.

Florus in A. T. L. *eodem die* (Kal. Maii) *paſſio Sancti Judæ Hieroſolymitani Epiſcopi cognomento Quiriaci, qui paſſus eſt in Hieroſolyma ſub Juliano Imperatore, & paſſio Annæ Matris ejus*.

In Martyrologio Fuld. eadem die - *Sancti* QUIRIACI *Epiſcopi, qui ante* JUDAS *vocatus eſt*.

Notkerus ad diem quartam Maii - *Hieroſolymis* QUIRIACI Epiſcopi cognomento JUDÆ. Paullo poſt tamen Eum eſſe ſignificat, qui ab aliis commemoratur Kal. ejuſdem menſis.

In Labbeano Kal. Maii - JUDÆ - Rabanus eadem die iiſdem utitur verbis, quibus omnia Hieronymiana.

vixit ſæculo, ſignificatur (1) Et vero cur vel priorem illum cum hoc altero confundamus, cum rotundis verbis ſæculo ſecundo *Judam Cyriacum* Hieroſolymorum Epiſcopum habeamus eodem omnino nomine, atque cognomine compellatum, quibus illum Martyrologia, Scriptoreſque diſtinguunt? Vel cur ſecundum hunc unum, eumdemque cum illo priori faciamus, Cum hunc nunquam *Judæ* nomine, vel cognomine compellatum in iis Martyrologiis, Scriptoribuſque legamus, & ſub Juliano Apoſtata martyrio donatum ſæculo quarto eadem Martyrologia, Scriptoreſque teſtentur? Martyrologia inquam eadem, Scriptoreſque, in quibus cum nullam legamus factam de Crucis per Sanctum hunc Cyriacum inventione mentionem, ſicuti a pluribus aliis factam legimus per ſummum errorem, purgatiora, & a falſi ſuſpicione remotiora habenda eſſe videntur. Menologium Græcum Papebrochius obtrudit, in eoque animadvertens de uno Sancto Cyriaco Epiſcopo mentionem fieri, colligit, unum fuiſſe etſi diverſa die a diverſis Martyrologiis commemoratum. Contendit enim, ſi duplex fuiſſet, utrumque fuiſſe commemorandum. Quanti valeat hoc argumentum, aliis conſiderandum relinquitur.

Ego

(1) In Martyrol. Rom. ad diem quartam Maii ſic legitur - *Hieroſolymis Sancti Cyriaci Epiſcopi, qui cum loca Sancta viſitaret, ſub Juliano Apoſtata cæſus eſt.*

In vetuſtiſſimo SS. Vincentii, & Anaſt. - *Hieroſolymis paſſio B. Quiriaci Epiſcopi ſub Juliano Imperatore.*

Ado vulgatus ſic habet - *B. Quiriaci Epiſ. & Martyris glorioſi ſub Juliano Imperatore.*

Uſuardus - *Hieroſolymis paſſio* Sancti *Quiriaci Epiſcopi ſub Juliano Imperatore.*

In Martyrol. Mediol. 11. - *Sancti Quiriaci Epiſcopi, & Mart.*

His adde Gelon. in quo Kal. Maii - *Quiriaci* & Kal: vat. eadem die. - *Paſſio Sancti Cyriaci Epiſcopi, per quem &c.* nulla *Judæ* facta mentione.

Ego tamen animadverto, Cyriacum in eo Menologio commemoratum eum dici, qui Crucem Domini invenit, & ſub Juliano Apoſtata tormentis affectus occubuit (1). Idem in aliquot ex iis ipſis Martyrologiis aſſeritur, quæ de Sancto Cyriaco mentionem faciunt kalendis Maii (2). Ex eo igitur Menologio aliiſque latinis Cyriacus Epiſcopus Hieroſolymis paſſus [quidquid ſit de inventione Sanctæ Crucis, de qua non diſputo] imperante Juliano ſæculo quarto negari non poteſt. Cum vero pariter negari nec poſſit Cyriacus alter Epiſcopus, qui ſecundo ſæculo vixerit, obieritque probabiliter Hadriani anno decimo ſexto, quo, ut inquit Euſebius (3), *C. Julio Servilio Urſo Severiano II., & C. Vibio Juventio Vero Coſſ. COCHEBAS Dux Judaicæ rebellionis Chriſtianos nolentes ſecum pugnare contra Romanos variis modis excruciavit*, ſive, ut inquit Hieronymus (4), *omnimodis cruciatibus necavit*, inter quos Cyriacum certe, ut colligit Papebrochius (5) eorum Epiſcopum: ſequitur duos fuiſſe Cyriacos Epiſcopos diverſo ſæculo Hieroſolymis paſſos, qui confuſi ſic fuerint, ut unus conflatus ex iis ſit: & facile colligo, non ſecundum in primum, ſed primum in ſecundum Cyriacum abiiſſe. Etenim hic ſecundus & frequentius, & ſic memoratur, ut pro primo ſumi non poſſit: Primus vero ex addito ſolum *Judæ* nomine diſtinguatur. Hinc ſiquis forte illud obiiciat, etiam Cyriacum ſub Juliano Imperatore occiſum aliquando *Judæ* nomine compellatum, in promptu eſt faciliſque reſponſio, id factum fuiſ-

(1) Conſule quæ in eo dicuntur de Sancto Cyriaco ad diem 28 Octobr.
(2) Uſuard. Kal. Vat. Mart. Gel.
(3) In Chronico.
(4) In Chron. Euſeb.
(5) In Hiſt. Chronol. Epiſc. Hieroſol. num. 33.

fuiſſe, propterea quod primus ille ſæculi ſecundi Cyriacus confuſus fuerit cum Cyriaco ſæculi quarti, & *Judæ* nomen, quod illi fuerat peculiare, huic attributum. Verum quis hunc cum primo illo ſæculi ſecundi confundat ex eo ſolum capite, quod ab aliquibus fuerit dictus *Judas*, cum dicatur ab iis ipſis occiſus imperante Juliano?

Unus non duplex Cyriaci nomine Hieroſolymorum Epiſcopus.

V. Cyriacum autem hunc interfectum quidem Hieroſolymis ſub Juliano, ſed ejus urbis Epiſcopum eſſe minimè potuiſſe [quod ſecundo loco propoſitum fuit] conſentiunt omnes, qui de hoc argumento tractarunt Baronius, Papebrochius, Graveſonius, Tillemontius, Lambertinius, aliique. Et quidem merito. Cum enim illi Eccleſiæ præfuerit Cyrillus ab anno 348. ad annum uſque 389. Theodoſio imperatore, ut egregie ex coævis Scriptoribus omnibus iidem animadvertunt (1), Cyriaco locus eſſe non poteſt. Scio non deeſſe, qui Cyriacum vel invitum conentur trahere in ſeriem Hieroſolymitanorum Epiſcoporum, ſive poſt Maximum ante Cyrillum, ſive Cyrillo ipſi Arriana, ut volunt, labe infecto, & ab Arrianis intruſo ſuppoſitum a Catholicis contra fidem Sancti Hieronymi, Epiphanii, Rufini, Nicephori, Sozomeni, Socratis, Theodoreti, aliorumque, qui Epiſcopos omnes ejus Eccleſiæ ſive Arrianos, ſive Catholicos enumerantes nullam de Cyriaco mentionem faciunt. Sed conatus hujuſmodi quam ſint irriti: quam vana hujuſmodi effugia, videre eſt apud laudatos Baronium, Pagium, Papebrochium (2), alioſque eruditiſſimos viros, qui ſpartam hanc ſatis jam illuſtrarunt, ut ſuperfluum ſit in his refellendis diutius immorari. Id unum addam;

(1) Conſule Papebroch. in Hiſt. Chronol. Epiſcop. Hieroſolym. n. 81. ad Cyrillum Epiſ. XLI.

(2) Conſule Eumdem in actis SS. ad diem 18. Martii, ubi de S. Cyrillo.

dani ; ſi Epiphanium, Hieronymum, Rufinum, Nicephorum, & alios omnes in enumerandis Hieroſolymitanis coævis Epiſcopis memoria ſic lapſos ponere volumus, ut omnes ne uno quidem excepto ex oblivione Cyriacum præterierint; vel in id conſentire, ex his aliquos eum ideo nominare noluiſſe, propterea quod eſſent Arriana fortaſſe labe polluti: nihil futurum in Eccleſiaſtica hiſtoria tam Sanctum, quod his effugiis labefactari: nihil tam falſum, quod affirmari non poſſit. Sed, inquiunt, in texenda Epiſcoporum Hieroſolymitanorum ejus ætatis ſerie ſcriptores etiam coævi diſſentiunt. Si de Pſeudo Epiſcopis ſermo ſit, ab Arrianis dolo frequentiſſime, & tumultuoſe intruſis, ſæpe ejecto, ſæpe revocato Cyrillo, id verum eſt (1). In tanto vero rerum tumultu, quid mirum ſiquem ſcriptores etiam coævi quidem, ſed diverſarum longe regionum non recenſuerint, vel diverſo aliquando nomine compellaverint? In eo tamen, quod Cyriacum ejus Sedis Epiſcopum ſæculo quarto ſilentio premant altiſſimo, nonne egregie conveniunt? Scriptores fortaſſe Arriani tamquam Catholicum Cyriacum non memorarunt. Eſto: nonne debuiſſent memorare Catholici? Quamquam cum iidem ſummi viri Cyrillum Catholicum ſemper fuiſſe invicte probaverint (2), hujuſmodi effugio locus eſſe non poteſt. Cetera, quæ pro tuendo Hieroſolymitano Cyriaci Pontificatu afferri ſolent, ſicuti illud eſt de Cyriaco in Cyrillum, de Hadriano in Julianum ex Amanuenſium errore fortaſſe mutato, cum levia ſint, & nugatoria, perſequi brevitas inſtituta non patitur.

VI. Favet auctoritas Martyrologii Romani, a quo occiſus dicitur a Juliano Cyriacus Hieroſolymis, *cum*

B *loca*

(1) Conſule Papebroch. ibid.
(2) Conſule eumdem ibid.

loca Sancta viſitaret: Quo peregrinus, non Hieroſolymitanus Epiſcopus fuiſſe ſatis clare ſignificatur. Scio eſſe, qui velint *de ſuo cerebro* id additum a Baronio, non ab Actis, atque exemplaribus antiquis acceptum (1). Qui tamen id aſſerunt, videant, quam notam inurant viro fidei integerrimæ, & antiquitatis obſervantiſſimo, eccleſiaſticæ hiſtoriæ Parenti merito compellato, ab ipſis etiam hæreticis in iis, quæ ad integritatem, fidemque pertinent, commendato prorſus indignam. Quid? quod in notis Acta indigitat Anconitanæ Eccleſiæ a ſe viſa, atque perpenſa, caſtiganda illa quidem ut fatetur ingenue propter fabellas, quibus immaniter ſcatent, ſed non penitus reprobanda, quippe quæ in aliquibus non abhorreant a veritate? Ceterum Cyriacum hunc peregrinæ Sedis Epiſcopum non Baronius modo, ſed etiam ex Tillemontio Lambertinius, ſive Benedictus XIV. P. M. cum aliis animadvertit, affirmans, fieri potuiſſe, ut Cyriacus alicujus Sedis Epiſcopus paſſus fuerit ſub Juliano Apoſtata Hieroſolymis (2).

VII. Quæ igitur remanet difficultas, & quidem gravis in eo ſita eſt, utrum Sedes hæc peregrina, cujus Cyriacus ille erat Epiſcopus, fuerit Anconitana. Ego id cenſeo probabiliſſimum Acta & traditionem Anconitanæ Eccleſiæ conferens cum illa animadverſione, quam in eruditis ſuis conſiderationibus Corſinus noſter adhibuit. Etenim animadvertit, quod, quemadmodum certum videtur, ut obſervavimus, paſſum Hieroſolymis fuiſſe imperante Juliano incertæ ignotæque Sedis Epiſcopum Cyriacum nomine, eumque in pluribus martyrologiis ad diem quartam poſt Kalendas Maii commemorari: ita nulla eſt toto orbe præ-

(1) Papebr. in epiſt. ad Jul Sarac. 8. Julii 1676.
(2) De feſto Inventionis S. Crucis §. DXLVII. Tillem. nota III. ad vitam S. Helenæ.

præter Anconitanam Eccleſia, quæ ab antiquiſſimo tempore, & ſupra omnem memoriam ea ipſa die Martyrium Sancti Cyriaci tamquam Epiſcopi ſui celebret ritu ſolemni: ſuumque ſibi eum contendat Epiſcopum. Si autem Sanctus Cyriacus alteri urbi præfuiſſet Epiſcopus, nonne profecto aliqua Civitas prodiiſſet, quæ de tanto Epiſcopo, & Martyre gloriaretur: eumque ſuum ſibi repeteret? Quis enim neſciat, quanto ſtudio memorias Sanctorum ſuorum ſive Martyrum, ſive Epiſcoporum unaquæque Civitas recoleret, & conſervaret? Notæ ſunt accerrimæ urbium concertationes de uno eodemque vel ſancto Martyre, vel Epiſcopo inter ſe adhuc pugnantium, & contendentium. Cum igitur ex veteribus Martyrologiis, pluribuſque ſcriptoribus edoceamur, Cyriacum quemdam Epiſcopum Hieroſolymis ſub Juliano coronatum fuiſſe martyrio, qui tamen neque fuiſſe Hieroſolymitanus Epiſcopus dicitur, nec eſſe potuit: & una ſit Civitas Anconitana, quæ Cyriacum ipſum ſuum ſibi Epiſcopum aſſerat, repetatque: ceteris omnibus eumdem illi facile permittentibus: non video, quomodo ſine injuria poſſit hoc illa honore, præſidioque privari: & cum ipſa Anconitana Eccleſia facile, libenterque convenio, Sanctum Cyriacum ex ea urbe dilapſum, & Hieroſolymas Religionis ergo profectum ibi pro Chriſto una cum Anna Matre ab impii Apoſtatæ ſatellitibus interemptum.

VIII. In eadem eſt opinione Baronius, qui eum legiſſet in pluribus Martyrologiis ad diem quartum Maii Cyriacum ignotæ Sedis Epiſcopum Hieroſolymis ſub Juliano martyrio affectum: In martyrologio vero Romano illam additam circumſtantiam *cum loca Sancta viſitaret*: vidiſſetque Acta Sancti Cyriaci ab Anconitanis ſibi communicata, eum Epiſcopum fuiſſe Anconitanum, pronunciare non dubitavit (1). Scio

B 2 eſſe,

(1) In notis Martyrol. Rom. ad diem 4. Maii, ubi de S. Cyriac.

Utrum Baronius opinionem de Sancto Cyriaco Epiſcopo Anconitano retractaverit.

eſſe, qui Baronium ſententiam revocaſſe contendant; propterea quod paullo poſt in Annalibus anno editis 1592. de S. Cyriaco ſcripſerit: *Cujus Eccleſiæ Epiſcopus fuerit, ignorari* (1). Quicumque tamen id volunt, eos ego hoc unum rogatos volo: Quare Baronius, cum tertiis typis Martyrologium edendum curavit anno 1597. emendatum, noviſque notis ornatum, & illuſtratum: quare inquam eam ipſam de Cyriaco Epiſcopo Anconitano ſententiam iiſdem, quibus antea, verbis expreſſit? Quare non delevit? Quare non emendavit? Si contra ipſi a me ſciſcitentur: Quare in Annalibus eam de Cyriaco Epiſcopo Anconitano ſententiam non explicaverit, quam cum ante tum etiam poſt editos annales in notis ad Martyrologium expreſſit: Iis reſponſionibus prætermiſſis, quibus ſummi viri in hac re uſi ſunt, hæc mihi videtur veroſimilior: in notis agebat interpretem, cujus eſt peculiarem opinionem ſuam exponere: in Annalibus vero generalem hiſtoricum, cujus non eſt in exponendis rebus vel ab opinione ſua, vel a peculiaris alicujus Eccleſiæ traditione pendere: ſi præcipue ab omni, & quocumque vitio non ſit immunis: Sed ex monumentis indubiis, & Eccleſiæ auctoritate receptis. Hinc cum Eccleſiæ Anconitanæ traditio fato quodam miſero, aliiſque bene multis Eccleſiis communi fuerit vitiata: monumenta vero, quorum uſus eſt in Eccleſia, Anconam non memorent, in qua Cyriacus Epiſcopus fuerit, mirum eſſe non debet, ſi Cyriaci Epiſcopi Eccleſiam ignorari affirmaverit.

Utrum Sanctus Cyriacus fuerit Epiſcopus Anconitanus *Regionarius*.

IX. Anconitano Sancti Cyriaci Pontificatu firmato, ſupereſt, ut breviter videamus, peculiaris ne fuerit Anconitanus Epiſcopus, an ex illis fuiſſe dicendus ſit, quos dicimus *regionarios*. Neque enim deſunt, qui ſæculo ſolum quinto deſtinatos fuiſſe in Piceno ſaltem

(1) Ad annum 363. fol. 122.

tem ſuburbicario peculiares Antiſtites velint (1) Ut in hac re ſententiam meam aperiam, fateor me adduci nunquam potuiſſe, ut opinioni huic præberem aſſenſum. Primis illis Eccleſiæ temporibus, quibus vel nulli, vel admodum pauci erant in regionibus etiam ampliſſimis Chriſtifideles: nec ipſa ſatis erant nota nomina Civitatum: *& viris Apoſtolicis*, ut inquit Tommaſinus (2) *proinde ut Apoſtolis ipſis obſequendum erat Spiritui, cujus impetu rapiebantur, nec remorandus Evangelicæ victoriæ curſus velociſſimus*, primis inquam illis Eccleſiæ temporibus fuiſſe Epiſcopos Regionarios, qui ſcilicet vel nulli peculiari urbi attributi Provincias ſacris excurſionibus peragrarent: vel ita uni Provinciæ, aut Civitati deſtinarentur, ut tamen potius in ea, quam ejus Epiſcopi dici poſſent, libenter aſſentior. Sæculo vero quarto inclinante, quo Chriſtiana Religio longe jam, lateque per orbem fuerat propagata: in Italia præcipue viciniſque Urbi Provinciis, in quibus poſt Conſtantinum, ejuſque Filios Imperatores Chriſtiana gens Ethnicos jam tum numero ſuperabat, Provincias integras adhuc fuiſſe, in quibus urbes ad unam omnes peculiaribus adhuc eſſent ſuis Epiſcopis deſtitutæ, ut nullus eſſet, quem tantæ multitudinis oves peculiarem ſibi Paſtorem venerarentur, & a quo ad ſacra paſcua ducerentur, nemo mihi ſuadebit. De Urbibus vero in Picæno ſuburbicario principibus, interquas Anconam fuiſſe nemo negabit, quid dicam? Cum tot jam eſſent Epiſcopi in aliis aliarum Italiæ Provinciarum Civitatibus conſtituti; ut legere eſt inter cetera monumenta in Concilio Romano ſub Melchiade Papa: cur ſolis Picæni ſuburbicarii urbibus id infortunii tribuetur? Erant Epi-

(1) Conſule Marang. lib. 1. cap. XI. de monum. Civitatis Novæ.

(2) De nova, & vet. diſcipl. Eccl. tom. 1. lib. 1. cap. 54.

Epiſcopi per Picænum Annonarium diſtributi: *Stennium* jactat Ariminum (1): *Evandrum* Urbinum (2): Callium *Grecianum* (3): & quidem ſæculo quarto ante Julianum temporibus Conſtantini, atque Conſtantii: cur in Picæno ſuburbicario ſuum habere non potuit Ancona *Cyriacum* imperante Juliano?

Inventio corporis Sancti Cyriaci Epiſcopi Anconitani nuperrima.

X. Corpus Sancti Cyriaci una cum aliis duobus Sanctorum Marcellini Epiſcopi, & Liberii eremitæ in tribus diſtinctis arcis religioſiſſime ante ſeptem ſæcula incluſis inventum feliciter eſt anno 1755. Cujus inventionis hiſtoria adjectis ad confirmandam, & ab omnibus difficultatibus vindicandam Sanctorum corporum veritatem, & Epiſcopalem Sancti Cyriaci dignitatem conſiderationibus aliquot eruditis typis Romanis prodiit anno ſequenti, Corſino noſtro auctore; qui Anconæ actis omnibus adfuit, & vetera omnia monumenta revolvit. Sancti Antiſtitis corpus cum repertum fuerit integrum, iis ſolum partibus labefactatis circa collum, abdomen, & femora, in quibus facile eſt, paſſum fuiſſe martyrium: de medio opinionem eorum ſuſtulit, qui cenſebant Sanctum Cyriacum Anconæ Patronum alium ab eo non eſſe, qui cum Sanctis Largo, & Smaragdo Romæ Martyrii coronam acceperat: cujus corporis parte ab antiquiſſimo tempore Anconam delata, debuerit fieri, ut in Patronum primo deligeretur, poſtea vero tenebroſiſſimis illis ſæculis, quæ ſequuta poſtea ſunt, Anconitanus Epiſcopus haberetur, atque traduceretur. (4) Certum enim eſt Sancti Cyriaci Romani Martyris, & Diaconi corpus in Templo Sanctæ Mariæ in Via lata cum So-

(1) Ex Opt. Milevit. lib. 1. de Schiſm. Donati.
(2) Ex eod. ibid., ubi: *Evandrus ab Urſino*: Vide Du Pin. in edit. Antuerp. Opt. Mil.
(3) Ex fragment. S. Hilarii de Concil. Arim. col. 685.
(4) Ita Papebrochius loco laud.

Sociis Romæ quieſcere (1). Menſe Majo 1758. Sancti Epiſcopi, & Martyris corpus Pontificalibus ornatum pretioſis veſtibus elatum per Urbem fuit non minori Religione, quam debita Patrono beneficientiſſimo pompa, concurſu hominum ex finitimis regionibus incredibili, atque urbe gaudio ita geſtiente, ut ſuis quaſi convulſa ſedibus videretur. Celebritatem auxerunt præter *Nicolaum Mancinfortium* Epiſcopum Anconitanum tres alii vicinarum urbium Antiſtites *Hippolytus de Rubeis a Sancto Secundo* Senogallienſis, *Pompejus Compagnonius* Auximanus, *Carolus Peruzzinius* Maceratenſis. Rite poſtea, omnique adhibita Religione reconditum Sancti Epiſcopi corpus fuit in urna ex marmore antiqua vario multoque ornatu affabre admodum, eleganterque Romano more diſtincta.

XI. Hæc de Sancto Cyriaco ſatis ſint. Progrediamur ad alios Epiſcopos, qui poſt eum dicuntur eamdem Cathedram impleviſſe. Expungendos & ego cenſeo cum Lucentio, qui Cyriacum ſequuntur proxime, *Primianum*, & *Marcum*. Primianus cum nullis monumentis Anconitanus tradatur Epiſcopus: tum etiam excludendus venit ex ea revelatione miraculis & prænunciatis eventibus confirmata, quam ex Georgio Tromba referunt Bollandiani (2). In ea ſcilicet ſe Epiſcopum quidem, ſed in diverſa Provincia Primianus ipſe manifeſtavit. Huic revelationi ſi habenda ſit fides, corrigendus eſt Bernardinus Campellius (3) aſſerens, eum Patria Anconitanum, Spoleti vero capite pro Chriſti fide imminutum pridie Kal. Septembris anno D. 307. Inter cetera enim, quæ

Sanctus *Primianus*, & *Marcus* non fuerunt Epiſcopi Anconitani.

(1) Ex Martyrologio Rom. ad diem 8. Aug.
(2) Tom. primo Februarii ad diem 3., ubi de Sancto Primiano.
(3) In Hiſtoria Spolet. lib. 6.

Digitized by Google

quæ percunctanti devotæ Deo Mulieri Primianus expoſuit, id etiam fuit: corpus ſuum, cum in loco martyrii pluribus ſæculis jacuiſſet, nec, ut par erat, ab incolis coleretur, a Deo impetraſſe, ut ante annos ab ea ætate quadringentos ab Anconitanis bonis civibus navigio impoſitum ad ipſorum Urbem deducere-tur. Quod profecto Spoleto aptari non poteſt, ut nemini ignotum eſt. Inſcriptio, cum qua corpus ipſum inventum eſt, eum Græcum eſſe ſignificavit, ſic enim ſonabat = *Hic requieſcit corpus Beati Primiani Epiſcopi, qui fuit Græcus* = Quod ego intelligendum arbitror tam de Patria, quam de dignitate (1). Marcum vero, cum interfuiſſe dicatur Lateranenſi Concilio anno 463: nec hujuſmodi Concilium eo anno fuerit celebratum: nec Marci nomen ulla alia prodant eccleſiaſtica monumenta, inter fictitios arbitror recenſendum. Neque aliquid faceſſit mihi negotii, quæ eſſe contenditur de hoc Marco Epiſcopo in Eccleſia Anconitana traditio. Quid enim de ea traditione ſentiendum, quæ falſo innititur fundamento?

Sanctus Thraſo utrum fuerit Epiſcopus Anconitanus ſæculo quinto.

XII. Sequitur *Sanctus Thraſo*, quem ex divina revelatione inveniſſe corpus Sancti *Liberii* Confeſſoris Filii Regis minoris Armeniæ Anconæ defuncti, dum ad Sancta Orientis loca peregrinatus in Armeniam per Italiam reverteretur, Ughellius ſcripſit ex ejus Actis. Cum vero Acta hujus Sancti Liberii, quemadmodum etiam translationis ejuſdem corporis tam incongrua merito judicentur a Bollandianis (2), ut vix alias ineptiorem fabulam ſe legiſſe affirment, *in qua tanta ubique appareat temporum, ac Perſonarum confuſio: quæque tota reſolvitur in atteſtationem unius Canonici boni forſitan viri, ſed ignoran-*

(1) Boll. ex Georg. Tromb. loco laud.
(2) Tom. 3. ad diem 27., ubi de Sancto Thraſone.

rantiſſimi, *adeoque ſimplicis*, *ut induci potuerit ad fidem habendam tam male confutæ narrationi*, verendum quam maxime eſt, ne cum Actis hujus Sancti Liberii totum corruat fundamentum, cui innititur Thraſonis hujus Epiſcopatus. Præter hæc Acta Anconitanas etiam Ughellius indicat tabulas. Optandum tamen eſt, ut hæ tabulæ eidem baſi non innitantur, aut certe ſolidiori.

XIII. Me non latet, fuiſſe, qui ea Acta ſibi propoſuerit vindicanda, contenderitque emendicatis, totoque procul orbe petitis interpretationibus ſpecie quadam invitiſſimæ veritatis obducere. Id autem quid aliud eſt, quam Ethiopem vano, inſulſoque labore lavare? His ego libentiſſime prætermiſſis, quod de Sancto Liberio cenſeo probabilius, quodque afferre aliquam poteſt lucem ad dignoſcendum quonam Epiſcopo ſæculoque ex hac vita migraverit Anconæ Liberius, id eſt, quod Corſinus noſter de ejus Patria, ætate, conditione, vitæ inſtituto ex Abſarenſi monumento conjecit apud viros clariſſimos Mittarellium, & Coſtadonium (1), niſi certiſſima, certe maxime probabilia. Itaque viri eruditi poſt enarratum ex Sancto Petro Damiani obitum Sancti Gaudentii facile quondam Sancti Romualdi diſcipuli, poſtea Abſarenſis Epiſcopi anno circiter 1050. in Portus Novi cænobio prope Anconam, in quo inſula Abſarenſi depoſita ſolitarium egerat Cænobitam ad aliquot annos, ſubdunt = *Ex Catalogis MSſ. Abſarenſis Eccleſiæ ſocii quoque ei* [Gaudentio] *tribuuntur* LIBERIUS QUIDAM, ſeu OLIVERIUS, & PANCRATIUS *ejus Frater*, *qui etiam ut Sanctus coli dicitur intra marmoreum Sepulcrum in Eccleſia Anconitana*. In MSſ. ipſis Abſarenſibus idem legitur cum ali-

Sanctus Liberius Eremita quo ſæculo vixerit: quando Anconæ obierit, ejuſque corpus translatum fuerit.

C

(1) Tom. II. Annal. Camald. ad annum 1050. lib. XIII. num. XLX.

Digitized by Google

aliqua quidem, ſed minori ambiguitate in hunc modum = *Gaudentius ſocios habuit* LIBERIUM, ſeu OLIVERIUM, & PANCRATIUM *Fratrem ſuum, qui ut Sanctus veneratur in Sepulcro marmoreo in Eccleſia Anconitana*. Advertit Corſinus ad hæc religioſum cultum, de quo ibi, neque ad Sanctum Gaudentium, neque ad Pancratium poſſe referri; propterea quod corpus Sancti Gaudentii in iiſdem Catalogis a Monaſterio Portus Novi Abſarum dicatur fuiſſe tranſlatum anno 1177. De Pancratii vero vel cultu, vel vita ſancte traducta, vel de arca marmorea, in qua religioſe reconditum fuerit ejus corpus, nullum omnino Anconæ eſt monumentum, nul a traditio. Contra vero de ſanctimonia Liberii ſive Oliverii Eremitæ, de ejus cultu ab antiquiſſimis temporibus ad nos propagato, de celebri arca marmorea, in qua cuſtodiuntur mortales ejus exuviæ (1), advertit conſtantem ſemper fuiſſe apud Anconitanos traditionem. Cultus igitur ille, de quo eſt in Abſacenſibus Catalogis mentio, referri ad Liberium unice poteſt. Quod quidem extra dubium poſitum eſſet, ſi verum foret, quod Pater Receputus Societatis Jeſu ex Abſarenſium, ut arbitror, traditione affirmavit, Pancratium ipſum met fuiſſe Liberium ambobus hiſce nominibus compellatum, nec modo Socium Sancti Gaudentii, ſed etiam fratrem (2). Itaque nemo non videt, quam ſit probabile, Liberium hunc Sancti Gaudentii vel Socium, vel fratrem eum ipſum eſſe, qui cultum apud Anconitanos obtinuit. Cum igitur Sanctus Gaudentius Sancti Romualdi diſci-

(1) De hac arca antiquiſſima operibus anaglipticis, factiſque ex S. Scriptura petitis inſigni ab antiquis fidelibus elaborata vide Corſinum in ſua hiſtoria inventionis corporum Ss Cyriaci, Marcellini, atque Liberii Romæ edita anno 1756.

(2) In vita S. Gaudentii Abſar. Ep. cap. 30..

ſcipulus fuiſſe perhibeatur: neque ſolum ſolitariam vitam egiſſe juxta inſtitutum Eremitarum Camaldulenſium, ſed plura etiam monaſteria, ſive Eremos in Abſarenſi inſula condidiſſe (1): ſocius illi debuit adhærere Liberius, idemque inſtitutum obire, ut proinde mirum non ſit, ſi Eremita traductus fuerit, nobiſque in Eremitico habitu repræſentatus. Fortaſſe quod eſſet nobili natus genere, quemadmodum legimus de Sancto Gaudentio, aut ex Carinthiæ ducibus, aut ex Comitibus Forojulienſibus, aut ex ducibus Hiſtriæ (2), veniſſetque ex partibus transmarinis, anſam bono illi Canonico in Actis commemorato, ſive quicumque fuerit, alteri præbuit, ut Filius Regis Armeniæ diceretur, & crederetur. Fortaſſe quo tempore Gaudentius Abſarenſem rexit Eccleſiam, antequam cum eo veniret Anconam, Sancta Paleſtinæ & Orientis loca viſitaverat; idque eidem fabulæ locum fecit. Fortaſſe etiam, ut opinatur P. Receputus, cum duplex ſit Abſarum, alterum in inſula ejuſdem nominis in Dalmatiæ litoribus, alterum in Armenia; eſſetque fortaſſe Liberius Abſarenſis Principis filius, creditus eſt eſſe ex Abſaro in Armenia de regali familia (3). Quidquid autem de ejus genere fuerit, animadverto in eo omnes convenire, ſi Acta excipias, Liberium ejuſdem ætatis fuiſſe, ejuſdemque inſtituti cum Sancto Gaudentio, magnaque cum eo ſanctimonia claruiſſe. Quod *apud Anconem habitum Cruciferorum ſuſceperit* [id enim etiam referunt Acta eadem fabuloſa], ex eo colligere potuit fabricator Actorum, quod in antiqua Sancti Liberii imagine opere anaglíptico elaborata ſæculo, ut Corſi-

(1) Conſule Tom. 1. Annal. Camald. lib. 7. num. XXIV.

(2) Conſule de his Jo. Fran. Bern. M. De Rubeis in Append. ad Monum. Eccl. Aquil.

(3) In vita S. Gaudent. cap. 31.

nus cenſet, duodecimo, quæ in extima Cathedralis Templi fronte cum aliis viſitur, animadverterit Sanctum Liberium prope pectus crucem manu geſtantem (1). Ceterum Cruciferorum habitum ſuſcipere Liberius non potuit, neque ſæculo quinto, ut referunt Acta, neque undecimo: cum inſtitutio Cruciferorum per Cletum ſæculo primo jamdudum inter fabulas fuerit amandata (2); nec poſſit, ſi Bollandianos audimus, ante Alexandri III. tempora propugnari ſæculo decimo tertio (3). Hæc vera ſi ſunt, conſequens eſt, ut ſuperis Liberius conceſſerit vel Stephano vel Gerardo hujus nominis primo Epiſcopis Anconitanis, quorum alter hanc regebat Eccleſiam anno 1030, pluribuſque fortaſſe ſequentibus: Secundus vero anno 1071, pluribuſque fortaſſe ſuperioribus, ut infra videbimus. Ejuſdem corpus cum aliquot annis jacuiſſet in Templo, quod ab Anconitanis in honorem ejuſdem nominis fuerat excitatum poſt ejus obitum, crebreſcente poſtea miraculorum fama, auctoque in eumdem Anconitanorum cultu, transferri debuit in Sancti Cyriaci Templum princeps; atque in arca marmorea collocari intra eadem ſepta ferreis cratibus undequaque bene concluſa, quibus aliæ duæ Sanctorum Cyriaci, & Marcellini anno 1097, ut idem Corſinus probat, cum eſſet Epiſcopus fortaſſe *Tranſbertus*, de quo infra. Etſi enim in Actis vulgatis tranſlationis ejuſdem comme-

(1) Imaginem hanc iconographicam videre eſt in relat. invent. Corporum SS. Cyriaci, Marcell. & Liber. auctore Corſino.

(2) Conſule Papebroch. in Conatu Chron. Hiſt. ad Catal. Pontif. Rom. num. IV. ubi de S. Cleto. Conſule ejuſdem reſponſ ad exhibit. errorum in Actis Ss. Bollandianis vindicatis. §. X. num. 97. §. 11. num. 24.

(3) Papeb. ibidem.

memorari dicatur Epiſcopus *Thraſo* : In iiſdem tamen Mſſ. mihi communicatis commemoratum inveni cum initialibus ſolum litteris Epiſcopum *Trans....* non *Thraſo* : quem *Tranſbertum* fuiſſe eo cenſeo probabilius, quod in annum ipſum 1097. incidere probabiliſſime potuit Transberti ejuſdem Pontificatus ut infra videbimus. Scio ea ipſa translationis Acta non eſſe minus fabuloſa, quam ſuperiora. Quid ni tamen in Actis quoque ſabuloſis contineatur quandoque aliquid veri, & inoffenſum ſaltem manſerit nomen Epiſcopi, qui corpus Sancti Liberii in celebri illa arca concluſerit? Interea ut aliquid colligam, quod ad præſens pertineat inſtitutum, hæc ſunt in cauſſa, cur Thraſonem Epiſcopum ſæculo quinto ſine ſolidiori fundamento in hac ſerie non cenſeam collocandum.

Severus Anconitanus Epiſcopus ſæculo ſexto utrum Schiſmaticus.

XIV. *Severum* ab Ughellio in ſua ſerie collocatum numero Septimo, de quo, & ad quem plures ſunt epiſtolæ S. Gregorii, ſchiſmaticum fuiſſe judicat Muratorius (1): Eumque ipſum Severum eſſe contendit, *ſchiſmaticum concrematæ Civitatis Antiſtitem*, pro quo Joannes Ravennas Epiſcopus ab eodem Sancto Gregorio eleemoſinam deprecatur anno 591: cenſetque male dictum Aquilejenſem, cum Anconitanus dici debuiſſet. Muratorii fundamentum in eo ſitum eſt, quod a S. Gregorio ad Joannem ipſum reſpondente (2) ea verba ibi ſubdantur: *Juxta quippe eſt Civitas Fanum*. Fanum ſcilicet urbs eſt Anconæ proxima, non Aquilejæ. Meo judicio rem acu non tetigit Muratorius. Rationem enim ibi Gregorius reddit, cur Joannis voluntati morem non poſſit gerere, & ſchiſmaticum Severum pecunia juvare, inquiens: *miſericordiam prius fidelibus; ac poſtea Eccleſiæ hoſtibus*

(1) In Annal. Ital. ad annum 591.
(2) Ep. 32. Indict. 10. lib. 2.

bus eſſe faciendam. Eſſe autem Civitatem *Fanum juxta* ideſt a Ravenna non longe poſitam, non ita pridem occupatam a Langobardis (1) in qua multitudo fidelium ab ipſis captiva detinebatur, quibus liberandis prius, quam ſchiſmaticis tum ſibi, tum ipſi Joanni erat eroganda pecunia (2). Nemo non videt, ex memorata in ea epiſtola a B. Gregorio Civitatis Fani vicinitate nihil colligi poſſe, quo ſchiſmaticus ille Severus dici debeat Anconitanus: & omne Muratorianum corruere fundamentum. Ceterum de Severo Aquilejenſi ibi eſſe ſermonem evidentiſſime apparet ex epiſtola decima ſexta libri primi ejuſdem Sancti Gregorii ad eumdem Severum data, in qua eum graviſſime objurgat, quod, cum ex ſchiſmate ad unitatem rediviſſet Eccleſiæ, iterum ſe ab ea, renovato ſchiſmate, ſeparaviſſet: & Romam eum jubet venire *cum ſequacibus ſuis, ut aggregata ſynodo de ea, quæ vertebatur, dubietate quod juſtum fuerit, deducatur*. Porro hæc in Severum Aquilejenſem cadere, non in Severum Anconitanum ex Paulo Diacono diſcimus: Narrat enim (3), Smaragdum Ravennatem Exharcum, cum accepiſſet, novum Aquilejæ Metropolitam Severum tria Capitula recipere detrectantem, claſſe ad Inſulam Gradum appulſum anno 586. per ſemetipſum a Baſilica extraxiſſe Severum, ductumque cum injuria Ravennam cum aliis tribus ex Hiſtria Epiſcopis, Joanne Parentino, Severo Tergeſtino, & Vindemio Ciſſenſi communicare compuliſſe cum Joanne Epiſcopo Ravennate tribus capitulis aſſentiente. Neque diu tamen ſtetiſſe in unitate Catholica; ſed ad ſchiſma, quod

(1) Ex eadem Ep.
(2) Conſule Mabill. Ann. Ord. Bened. tom. I. lib. VIII. num. XXXVII.
(3) Lib. III. cap. XXVI. Vide Joannem Franciſcum Bernard. de Rubeis de Monument. Eccl. Aquilejen. cap. XXIV.

quod ipſe, ac tres Hiſtriæ Epiſcopi, & Eccleſiæ Gradenſis defenſor Antonius ſenex Ravennæ ejuraverant, iterum, unitate diſciſſa, rediviſſe. De Severo autem Anconitano nihil hujuſmodi ullibi legimus.

XV. Rem plane conficiunt Epiſtolæ Sancti Gregorii ad Severum Anconitanum datæ. Eodem anno 591. viſitandam Ariminenſem illi tradit Eccleſiam (1): Anno 598. Cauſam Sereni Diaconi una cum Epiſcopo Armenio cognoſcendam illi committit (2): Anno 599. Eccleſiæ Auſinæ illum Viſitatorem facit (3): Quis credat, Sanctum Gregorium Epiſcopi ſchiſmatici opera in his uti voluiſſe?

XVI. Severum ex Ughellio *Joannes* excepit, ad quem datam affirmat epiſtolam a Magno Gregorio lib. duodecimo. Ea epiſtola, ut bene Lucentius notat, non eſt ad Joannem Anconitanum Epiſcopum, ſed ad Joannem Epiſcopum de Epiſcopo Anconitano eligendo (4). Quis tunc electus, ſive potius fuerit confirmatus, ignotum. Ex tribus tamen propoſitis, *Florentino* Eccleſiæ Anconitanæ Archidiacono, *Ruſtico* Eccleſiæ ejuſdem Diacono, *Florentio* Diacono Ravennate in tertium aperte Gregorius inclinat. Cum enim de primis duobus ſe quædam aſſerat accepiſſe, quibus arcendi eſſent a Pontificatu, Tertio id ſolum opponit, quod eſſet in Ravennatis Epiſcopi poteſtate: ideoque ſuadet agendum eſſe cum illo, ut Diacono ſuo abeundi faceret poteſtatem. Difficultas hæc tamen, cum omnes probe cognoſcant, quam eſſet facilis ſuperatu, nulliuſque momenti, hinc eum qui Severo ſuffectus eſt anno 603. abeunte, vel ineunte 604. *Florentium* potius Diaconum Ravennatem quam

Quis Severo Suffectus fuerit in Cathedra Anconitana *Ruſticus* ne, an *Florentinus*.

(1) Ex Epiſt. 55. lib. 1.
(2) Ex Epiſt. 13. lib. 7.
(3) Ex Epiſt. 89. lib. 7.
(4) Vide Epiſt. 6. lib. 12.

quam cum Lucentio *Ruſticum* Diaconum Anconitanum arbitror denominandum.

Bnolergius, ſive Belongerius utrum Epiſcopus Anconitanus ſæculo nono.

XVII. Poſt *Bnolergium*, ſive *Belongerium* anno 887. de ingenti lacuna Ughellius queritur ad annum uſque 967., quo Anconitanam Eccleſiam *Erfermarius* adminiſtrabat. Vereor, ne ipſomet excluſo Bnolergio lacuna amplior fiat. Obſervo enim Epiſcopum hunc unice inniti donationi a Theodoſio Firmano Epiſcopo factæ Monaſterio Sanctæ Crucis (1). Quæ e ſi Muratorio probetur (2), videtur tamen mihi plane fuiſſe conficta. Plura ſunt, quibus ita perſuadeor. Animadverto primo factam dici *anno D. 887. menſe Septembris die* 14. *Indict.* 5. *anno Imperii D. Caroli in Italia 6. eodem Carolo Imperatore præſente*. Imperabat quidem eo anno Carolus Craſſus; ſed certe eo anno in Italia non fuit. Anno enim ſuperiore diſceſſerat profecturus in Gallias ſuppetias allaturus Pariſiis, quos Northmanni arctiſſima obſidione cingebant (3). Neque Italiam reviſit amplius regno primo ſpoliatus a ſuis eo ipſo anno 887.: poſtea fato functus in Germania anno ſequenti. (4) Neque de mendo poſſumus ſuſpicari, poſitumque fortaſſe annum 887. pro 886., aut etiam aliquo ſuperiori, quo in Italia Carolus fuerit. Etenim in primis non correſponderet Indictio, quæ anno 886. fuiſſet tertia, vel quarta, non quinta. Deinde anno 886. legimus quidem menſe Januario in Italiam veniſſe Carolum vocatum a Stephano Summo Pontifice; ſed Ticinum prætergreſſus non eſt, ubi Paſchate celebrato diſceſſit in Gal-

(1) Eſt apud Ughell. tom. II. Ital. Sac. in Firmanis ad Theodoſium num. 15.

(2) In Annal. Ital. ad annum 887.

(3) Conſule Murat. ibidem ad annum 886.

(4) Vide Muratorium ipſum in Annal. Ital. ad annum 886., & ſeqq.

Gallias Aprili menſe (1): ideoque Firmi menſe Septembris ejuſdem anni eſſe non potuit, ut etiam Mabillonius animadvertit (2). Itaque cum neque potuerit fieri ea donatio præſente Carolo anno 886; propter ea quod Italia abeſſet Carolus: neque anno 887; propterea quod Carolus non rediverit in Italiam, judicandum relinquitur eruditis, quid de ea donatione ſentiendum ſit, quæ facta dicitur *eo præſente*: Animadverto ſecundo, in ea donatione inter alios Epiſcopos eſſe etiam Rugerium *Teramnenſem* Epiſcopum. Id autem eſt contra morem iis temporibus & multis poſt etiam ſæculis uſitatum, juxta quem Eccleſiæ illius Epiſcopi dicti ſunt *Aprutini*, vel *Aprutienſes*, ſive *Aprutinenſes*, non *Teramnenſes*, ut legimus in monumentis, quæ frequentiſſima ſunt apud Ughellium, & ut Ughellius ipſe notat his verbis = *Quamobrem ipſius Præſul non Interamniæ, ſed Aprutienſis denominatur Epiſcopus ab immemorabili*. Hac, ut puto, de cauſſa quem *Teramnenſem* legimus in hac donatione, Muratorius non interpretatus eſt *Aprutinum* Epiſcopum, ſed Antiſtitem ejus urbis, quam modo dicimus *Interamnam* inter Spoletum, & Narniam in Umbria (3). Attamen hallucinatus eſt vehementer; Eccleſia enim Interamnenſis in Umbria a ſæculo ſuperiore ſuis deſtituta Paſtoribus conceſſerat in Spoletanorum Antiſtitum poteſtatem, qui eam ſupra annos quingentos adminiſtrarunt ad ſæculum uſque decimum tertium Honorio III. Summo Pontifice (4). Animadverto tertio, factam dici eam donationem a Theodoſio Epiſcopis

D omni-

(1) Murator. ad annum 886. ex Annalibus Francorum Freheri.

(2) Tom. 3. An. lib. XXXIX. num. XXVII.

(3) In Annal. Ital. ad dictum annum 887.

(4) Vide Ughellium Tom. primo Ital. Sacræ in Epiſcopis Interamn. ad Epiſcopum N. Vide ibi diplomata Honorii.

Digitized by Google

omnibus, qui in Spoletano Ducatu degebant, præſentibus, conſentientibus, conſulentibus, & inter eos etiam enumerari Bartholomæum *Forolivienſem* Epiſcopum, & Albertum Epiſcopum *Lodonenſem*. Ut ut autem Camerinenſem, Firmanam, aut Anconitanam Marchiam Spoletanus Ducatus iis temporibus amplectéretur, nullibi tamen, quod ſciam, legitur Forumlivium in Spoletano Ducatu comprehenſum. Quænam vero fuerit *Urbs Lodonenſis*, omnino ignotum. Fortaſſe a recenti corrupto vocabulo italico *Lodi* Lodonenſis ille Epiſcopus ſcriptus eſt, qui debuerat ſcribi *Laudenſis*. Fortaſſe etiam inflexa paullulum voce dictus eſt *Lodonenſis*, qui Modonenſis dici debuerat pro Mutinenſi. Præter quam quod tamen corruptiones hujuſmodi vocabulorum ævi ſunt recentioris: quis in Spoletano Ducatu admiſerit aut Laudam, aut Mutinam? Animadverto tandem quarto, ex omnibus illis Epiſcopis numero duobus deviginti, qui donationi illi ſubſcripſiſſe leguntur, nullum eſſe, ſi Theodoſium excipias, de quo præter eam ipſam donationem aliud ſit documentum. Quod animadverſione digniſſimum puto. De donationis hujuſinodi veritate dubius admodum fuit eruditiſſimus etiam Manſius (1): Primo, quod anno imperii ſui ſexto Carolus a Northmannis in Galliis occuparetur: ſecundo, quod in ea loquendi quædam formulæ adhibeantur illi ſæculo ignotæ, ut inter ceteras = *in Ducato Spoletano* = *Nam Ducibus nec tunc, nec ante parebant Spoletani*. Tertio, *quod indulgentiarum uſus, qualis nunc obtinet, quique in fine hujus diplomatis non ambigue aſſertur, non ante ſæculum XI. in Eccleſia cæperit, ut probat Papebrochius in Conatu ad vitas Pontif. pag.* 133. Primum, & poſtremum motivum in mea me opinione confirmant. Nutat igitur hic Epiſcopus niſi ſolidius habeat fundamentum.

XVIII.

(1) Tom. 1. ſuppl. ad Concil. ad an. 887. pag. 1048.

Digitized by Google

XVIII. Poſt Erfermarium Ughellius Thraſonum collocat numero in ſua ſerie decimo ſexto, *qui teſtis fuit*, ut idem inquit Ughellius *in ſententia data ad favorem Eccleſiæ Sanctæ Arretinæ ab Othone IV.* [ſic in ultimis etiam typis, cum tamen dici debeat III.] *Imperatore anno Regni ejus in Italia primo, qui fuit Salutis 983., ubi alii Epiſcopi recenſentur*. Judicium hoc recitat in Eſtenſibus antiquitatibus Muratorius cum notis his Chronicis: *Regnante Domno Hottone piiſſimo Rege anno Regni pietatis ejus in Italia ſecundo primo menſe Madii Indictione nona foras porta Sancti Laurentii intra palatius Domini noſtri Regis* (1): cenſetque ex nona indictione prolatum fuiſſe anno 996. Etſi enim annus Othonis III. regni ſecundus videatur innuere poſſe annum 984. [non 983.] ; opinatur tamen, vel in hoc erratum fuiſſe a ſcribente, vel annum 996. dictum fuiſſe Italici Othonis regni ſecundum, propterea quod fortaſſe anno ſuperiore Otho coronatus fuerat corona ferrea Mediolani. Cum vero Otho ante hunc ipſum annum non venerit in Italiam, Muratorio ipſo fatente (2), de mendo potius ſuſpicor, poſitumque annum Regni ſecundum, cum decimus quartus poni deberet. Ceterum illud judicium anno latum fuiſſe 996. præter Indictionem nonam ex eo quoque perſuadeor, quod latum dicatur *primo menſe Madii*, *ideſt* kalendis Maii *extra portam Sancti Laurentii*. Etenim & eo anno & eo menſe Romæ Otho reperiebatur proxime a Summo Pontifice imperii corona donandus (3): cenſeoque probabiliſſimum, eum extra Romam ſive extra portam Sancti Laurentii illo adhuc die degentem, propterea quod Gregorius V., quem ipſemet Otho paullo ante in

***Thraſonus* quando Epiſcopus Anconitanus ſæculo decimo.**

(1) Tom. 1. Eſt. Antiquit. pag. 187.
(2) In Annal. Ital. ad annum 996. (3) Ibidem.

te in Summum Pontificem eligendum curaverat, & a quo erat coronandus, nondum fuiſſet conſecratus (1), & de more ante ſtatutam accipiendæ coronæ diem in urbem non ingrederentur imperatores. Ceterum neque anno 983., neque 984. illud ferri judicium potuit ab Othone III. Anno 983. menſe Majo nec a Patre Italiæ Rex fuerat ſalutatus, nec Aquiſgrani conſecratus in Regem: cum id factum fuerit menſe Decembri (2). Anno 984. menſe eodem Majo adhuc erat in poteſtate Henrici Bavariæ Ducis, a quo non niſi tertio kalendas Julii libertate donatus fuit, matrique traditus (3). Accedit quod quartum ætatis annum Otho tunc non excederet, ut proinde per ſe ipſe judicia ferre non poſſet. Epiſcopus igitur Thraſonus, qui in eo judicio teſtis commemoratur, ab anno 983. ad annum 996. protrahendus.

XIX. Poſt Thraſonum Ughellius de ingenti duorum ferme ſæculorum hiatu conqueritur. Deſinat conqueri; modo enim eruditione & diligentia doctorum hominum effectum eſt, ut vel omnino clauſus, vel contractus ſic fuerit, ut non cognoſcatur. Hæc laus debetur imprimis BENEDICTO XIV. P. M., qui ut erat reconditæ, & profundiſſimæ eruditionis, *Stephani Anconenſis Epiſcopi* nomen inter alia cum Gallorum tum Italorum primus invenit in quadam Joannis XIX. P. M. Epiſtola, qua ſpiritualia bona impertitus eſt iis, qui ad reſtaurandam Magalonenſem Cathedralem Eccleſiam pecuniam, aut operam ſubminiſtraſſent (4). Cum eam epiſtolam Joannes dederit

Stephanus Epiſcopus Anconitanus Ughellio non notus ſæculo undecimo.

(1) Conſule Baron. ad annum 996. §. 5. & ſeq. pag. 51., & ſeq. Murat. ad eumdem annum.

(2) Ditm. Chron. lib. 3. Sigebert. in Chron. Annal. Hildshem. Conſule Murat. ad annum 984.

(3) Murat. ibid. ex An. Sax.

(4) Conſule Lit. Apoſt. ejuſd. ad Nicol. Ep. Anc. Sunt in tom. 2. Bul. ejuſd.

derit anno circiter 1030., poſt Thraſonum collocandus Stephanus eſt, interea dum inter utrumque ætas fortaſſe alterum proferat. Merito autem notari jubet doctiſſimus Pontifex, mirandum non eſſe, Stephanum illi Epiſtolæ ſubſcribentem ſe pro Anconitano dixiſſe *Anconenſem*. In tanta ſcilicet corruptela linguæ latinæ infelicibus illis temporibus, quibus urbium nomina mirum in modum inflectebantur, nihil facilius, quamquod ita denominati fuerint Epiſcopi Anconitani. Rectiſſimum fuiſſe judicium Pontificis ſapientiſſimi patet ex eo Othonis Secundi diplomate apud Muratorium, quo inita olim pacta cum Venetis confirmavit ad eadem circiter tempora anno ſcilicet 983. (1). In eo enim enumeratis Italiæ populis, qui Othonis imperio tunc ſuberant, inter eos *Anconenſes*, etiam Otho recenſet, & *Humanenſes*.

XX. Stephano *Gerardum* ſubjicio hujus nominis primum. Interfuiſſe hic Epiſcopus legitur Romano illi Concilio, quod celebratum ab Alexandro II. P. M. ut Samuelem Communione privatum de Ferrarienſi Cathedra deturbaret collocato in eadem Gratiano primus ex Ferrarienſi codice protulit eruditiſſimus Manſius (2). Celebratum probabiliter fuiſſe anno 1071. Manſio cum aſſentiantur plerique viri eruditi (3), hanc ipſam ætatem Gerardo ſic ſtatuo, ut a tempore ſuperiori Epiſcopus fuerit. Id enim videtur exigere, cum ætas Stephani, de quo ſupra, tum illorum, de quibus proxime agendum eſt.

Gerardus Epiſc. Ancon. Ughellio non notus ſæc. undecimo.

XXI. Tres alios ejuſdem ſæculi Epiſcopos eduxit ex tenebris eruditiſſimus vir Joſeph Garampius Baſilicæ Vaticanæ Canonicus, & ſecretiori tabulario Baſilicæ ejuſdem præfectus. Cum enim eſſet Anconæ, & , ut

(1) Murat. ad annum 983. ex Dandulo in Chron. Vide tom. XII. Rer. Ital. (2) Tom. 3. pag. 1383.

(3) Vide Mittarel. & Coſtad. tom. II. An. Camal. lib. XIX.

Digitized by Google

Transbertus, Marcellinus, & Bernardus Anconit. Epiſcopi Ughellio non noti.

&, ut ſolet, antiqua ejus Eccleſiæ monumenta revolveret, duo invenit Alexandri III., & Honorii itidem III. diplomata Canonicis data Eccleſiæ Anconitanæ, quibus ii Pontifices iiſdem concedunt *dimidiam partem oblationum ad corpora ſanctorum in eorum Eccleſia quieſcentium oblatarum .... duodecim denarios Papienſes, quos de oblationibus Paſchæ, & Natalis Domini illis TRANSBERTUS, MARCELLINUS, & BERNARDUS Anconitani quondam Epiſcopi conſideratione provida remiſerunt*. Ad inveſtigandam horum Epiſcoporum ætatem præmittenda aliqua ſunt ex Corſino. Primo in Alexandri Tertii diplomate, quod vetuſtate conſumptum ſit, amplius quidem legi non poſſe, quo anno, & ubi datum fuerit; ſatis tamen eſſe probabile, fuiſſe datum Anconæ anno 1177. Is enim annus eſt, quo Romam Venetiis rediens Alexander poſt Fridericum Romanæ Eccleſiæ reconciliatum fuiſſe dicitur aliquot dies Anconæ(1). Ante igitur eum annum ii Epiſcopi Anconitanam Eccleſiam regere debuerunt. Secundo Epiſcopi *Bernardi* nomen recurrere in parva hædina ſchedula inſcriptum, quæ, cum in quadam ara una cum ſanctorum aliquorum reliquiis contineretur, in ejuſdem demolitione reperta delata cum illis fuit in ſacrum, ut vocant Reliquiarum theſaurum, ubi a noſtro Corſino fuit inventa cum pluribus aliis monumentis, ad quæ ad ea uſque tempora nullus adverterat. In ea autem cujuſdam altaris memoria proditur a Bernardo Epiſcopo conſecrati in hunc modum. *Anno Dominicæ Incarnationis 1128. Indictione V. Civitate Anconæ ad honorem Dominicæ Crucis inventionis, & Sanctorum Martyrum Alexandri, Eventii, & Theoduli, atque Juvenalis, & Sancti Jacobi Apoſtoli Fratris Domini, & Sancti Michaelis Arcangeli per manus Domini*

(1) Dandul. hiſt. Ven.

mini BERNARDI Epiſcopi hoc conſecratur Altare. Hinc nemo non videt, quam ſit probabile, Bernardum in ea ſchedula memoratum eum ipſum Epiſcopum eſſe, de quo in ſuis litteris Alexander, proindeque anno 1128. aliiſque fortaſſe cum ſuperioribus, tum etiam ſequentibus in hac ſede ſtatuendum. *Marcellinus* vero atque *Tranſbertus* cum ex ordine ipſo, quo memorantur, vixiſſe eos appareat ſuperiori ante Bernardum ætate, ita collocandi in hac ſerie videntur, ut illud occupaverint ſpatium, quod Gerardum intercedit, atque Bernardum ab anno 1071 ad 1128 tali ordine, ut Transbertus Gerardo, Marcellinus Transberto, Bernardus Marcellino ſuffecti proxime fuerint.

XXII. Ignotum quemdam Eccleſiæ hujus Antiſtitem Lucentius ſtatuit anno 1118. ex quodam Gelaſii Papæ Decreto apud Gratianum, quo Epiſcopis Maximo atque Euſebio committit, ut Conſtantinum *Anuſcanæ* Eccleſiæ Epiſcopum in poſſeſſionem immittant cujuſdam juriſdictionis, de qua fuerat cum Anconitano Epiſcopo controverſum (1). Suſpicandi eſſet occaſio, Epiſcopum hunc, cujus nomen Gelaſius reticet in eo decreto, fuiſſe Bernardum: niſi animadverterem, Decretum illud Gelaſio II. qui eo anno Pontifex factus fuit, non poſſe niſi improbabiliter tribui. Hic enim unum tantum annum, & dies quatuor Pontificatum tenuit, quibus tot diſtractus calamitatibus fuit, tot obnoxius vitæ periculis, ut in controverſiis his dirimendis operam impendere eum potuiſſe nemo crediderit. Sic de eo Baronius (2). *Poſt Martyres, qui fuſo ſanguine Martyrium conſumarunt, haud facile inter Romanos Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vitæ tempore majora eo ſit paſſus, ob idque præclariori corona donandus.* Et

N. Epiſcopus Anconitanus utrum ſæculo duodecimo, an potius quinto.

(1) Vide Grat. 2. p. Decret. cauſſ. 16. q. 3. c. 3.
(2) Baron. ad an. 1119. §. 1. 2. 3. Pag. 34.

Digitized by Google

Et quidem merito. Vix enim creatus Pontifex fuerat VIII. kal. Februarii anni 1118, cum Cencius Frangipanius, vir in urbe potens eum *diſtraxit*, *pugnis*, *calcibuſque percuſſit*, *& tamquam brutum animal intra limen Eccleſiæ acriter calcaribus cruentavit*, *cateniſque conſtrictum in cuſtodiam incluſit* (1). Procerum & populi favore vindicatus in libertatem, Romam adveniente haud ita multo poſt Henrico V. ægre Cajetam Patriam ſuam ſe recipere potuit, ubi demum VI. Idus Martii conſecratus eſt Pontifex. Eodem ferme tempore Mauritium Burdinum Pſeudo Pontificem Romæ inauguratum agente Imperatore cum cognoviſſet, congregato Capuæ Concilio Henricum Burdinumque damnavit Martio menſe. Ad Montem Caſinum poſt Paſcha cum ſe contuliſſet, paullo poſt reverſus eſt Capuam. Diſceſſu Imperatoris audito, menſe Junio Romam venit apud amicos digreſſus, magis ut peregrinus, quam Dominus. Cum parum abfuiſſet, quin Julio menſe in poteſtatem veniret Pſeudo Pontificis Romæ agentis, & imperantis, cogitavit in Galliam. Itaque menſe Septembris Piſas appulit, Octobris Genuam; Magalona Gallias ingreſſus, pluribus peragratis urbibus, plures inviſit Eccleſias, & Monaſteria ubique, ut poterat, victitans. Morbo pleuritidis Matiſconæ correptus deferri voluit in Cluniacenſe Cœnobium, ubi anno 1119. IV. kal. Februarii exceſſit e vivis. (2) In tanta rerum perturbatione, in tanta breviſſimi illius temporis iniquitate, Dominante Romæ, & in Pontificia ditione Pſeudo Ponti-

fice

(1) Pandulph. Piſan. hujus Pontif. familiaris in ejus vita tom. 3. Script. rerum. Ital. pag. 384.

(2) Vide ejus Pontificis vitam apud Sandinium ex Baronio, Pagio, Orderico Vitali, Pandulpho Piſano, Petro Diacono &c.

Vide Murat. Annal. Ital. ad an. 1118., & 1119.

ſice quis credat Gelaſium II. de controverſiis hujuſmodi componendis, decretiſque faciendis contra Anconitanum pro Anuſcano, ſive, ut arbitror, Auximano Epiſcopo ne cogitare quidem potuiſſe?

XXIII. Rectius igitur opinabimur, ſi decreti illius auctorem pro Gelaſio Secundo, Gelaſium Primum fuiſſe dicamus, & Anconitanum illum Epiſcopum ad ejus tempora remittamus ſæculo quinto. Neque vero in eo ipſo decreto nullum eſt fundamentum, cur ſic opinemur. Animadverto enim a Gelaſio Conſtantinum in eo dici *Coepiſcopum noſtrum Anuſcanæ Civitatis Sacerdotem*. Porro hujuſmodi de Epiſcopo loquendi formula vetuſtatem majorem ſapit, quam duodecimi ſæculi. Epiſcopos ſcilicet dictos fuiſſe per aliquot ſæcula Sacerdotes, ita ut urbis alicujus Sacerdos pro ejus urbis Epiſcopo ſumeretur, adeo certum eſt, ut Innocentius Primus ſcripſerit Sacerdotis nomen magis Epiſcopo, quam Presbitero convenire (1). Sæculo vero duodecimo ſic in Epiſcopis obſoleviſſe nomen hujuſmodi, ut non amplius adhiberetur hujuſmodi formula, nemo negabit.

XXIV. Quamquam, ut verum fatear, ego quam maxime ſuſpicor, decretum illud neque Primo, neque Secundo Gelaſio, ſed alteri cuipiam antiquorum ſæculorum eſſe tribuendum. Obſervo enim duos illos Epiſcopos Euſebium, & Maximum neutrius temporibus neque in vicinis, neque in remotis urbibus, niſi forte in tenebris jaceant, reſpondere; cum tamen habeamus Sanctum Euſebium Fanenſem Epiſcopum, qui vixit ſæculo ſexto ſub Symmaco, & Maximum Piſaurenſem ſub Martino Primo ſæculo ſeptimo. Eorum alterutrum eſſe potuiſſe, qui in illo decreto ſignificatur, non erit, ut puto, piaculum maximum

E opi-

(1) Epiſt. 1. cap. 3.

opinari ; cum neminem fugiat, in decretis antiquorum Summorum Pontificum apud Gratianum quot ſint errores & menda : cujus rei præſentiſſimum eſt argumentum *Civitas Anuſcana*, in qua Epiſcopus fuiſſe dicitur Conſtantinus(1).

Lambertus Epiſc. Ancon. Ughellio non notus qua ætate vixerit.

XXV. Bernardum Lambertus excipere debuit. Nuper hic Epiſcopus prodiit ex antiqua inſcriptione in Templo Sancti Cyriaci, quam difficillimis, contractis, implicatiſque inter ſe caracteribus exaratam, figuris & ornamentis pluribus intermixtam primus legit, in verſus apte diſtinxit, & explicavit Corſinus noſter. Eſt autem hujuſmodi :

Audi preces Chriſte Deus noſter
Lamberti Præſulis:
Qui dilectus Deo ſemper
Decoratur Inſulis:
Nos & ipſum Tu abſolve
Peccatorum vinculis.
Omnia, quæ hic habentur
Suo in Cronomate,
Fere recuperavit
Ipſe proprio numiſmate,
Auferentes & mulctavit
Diro anathemate.

Etſi ætatis, quæ Lambertum hunc tulit, nulla ſit nota, collocandum tamen poſt Bernardum ante Gentilem, & ad dimidium circiter duodecimi ſæculi Eccleſiæ præfuiſſe jure Corſinus cenſet. Etenim ſeries poſt Gentilem, quem Epiſcopum legimus in Concilio Romano ſub Alexandro III. anno 1179. a tempore ſuperiori, adeo numquam, ut obſervavimus, eſt intermiſſa ; ut locus nullus vacuus Lamberto remaneat. Non

(1) De Civitate Anuſcana mendoſe ſcripta ſermo erit in Auximanis.

Non potuiſſe vero ante Bernardum hanc Eccleſiam adminiſtrare, ex eo tempore Corſinus conjicit, quo Templum Sancto Cyriaco ædificatum fuit; & ejus corporis una cum aliis Sanctorum Marcellini, atque Liberii facta tranſlatio. Etenim cum illud Templum ædificatum probet ſæculo undecimo ad finem probabiliter properante, ſive anno circiter 1090. Sanctorum vero corporum translationem anno factam 1097: Stephanus præterea, Gerardus, Transbertus, Marcellinus, & Bernardus Epiſcopi probabiliſſime, ut obſervavimus, ſibi proxime ita ſucceſſerint, ut illud occupaverint ſpatium, quod eſt ab anno 1030. ad 1128. alioſque fortaſſe ſequentes, non poteſt ante Bernardum ſtatui Lambertus, niſi pariter ante Templum ædificatum, perfectumque ſtatuatur. Quod tamen a vero abhorrere cum inſcriptio nuper adducta, tum ornamenta, quæ ad Sicellum, Beatiſſimæ Virginis circa ipſam ſunt poſita ad eamdem æqualitatem eumdemque architectonicum ordinem conſervandum, qui eſt in alio Sacello e regione poſito, ſatis ſuperque ſignificant (1). Arguunt enim Templum ipſum jam renovatum juxta ordinem poſtremæ, non antiquæ illius ſtructuræ ante milleſimum. Hac ipſa ætate vixiſſe Lambertum, monumentum ſignificat per laudatos ſupra eruditiſſimos viros Mittarellium, & Coſtadonium ex tabulario Camaldulenſi productum (2): in quo Lambertus Epiſcopus Anconitanus Monaſterium Sancti Joannis extra mœnia Civitatis Rodulpho Camaldulenſium Rectori concedit una cum pluribus Eccleſiis, quæ a Monaſterio illo pendebant. Ut verum fatear, datum dicitur anno 1250. Indictione Sexta; Sed exemplum cum ſit, non autem autographum, fieri

E 2

(1) De his conſulendus Corſinus in relat. hiſt. invent. corporum SS. Cyriaci, Marcellini, & Liberii pag. 34.

(2) Tom. IV. Annal. Camal.

Digitized by Google

fieri omnino debuit, ut annum traducens parum diligens Scriptor erraverit. Neque enim anno 1250. aut ſexta erat indictio, ſed octava: aut Rodulphus Camaldulenſibus præerat. Ad annum igitur inveſtigandum, quo a Lamberto Monaſterium illud Rodulphus accepit, inveniendus is annus eſſet, quo Rodulpho Priore Sexta erat indictio. Sed cum duo fuerint, qui eodem Rodulphi nomine Ordinem illum tribus diverſis temporibus adminiſtrarunt; hæc ipſa regula, non ſatis habet certitudinis, niſi aliud lumen acceſſerit. Rodulphus igitur primus Camaldulenſibus præfuit ab anno 1074. ad annum 1088. Secundus ab anno 1152. ad annum 1159.. Tertius, ſeu potius idem iterum a Menſe Maii anni 1180. ad Menſem Septembris ejuſdem anni. Id certum imprimis eſt, poſtremi hujus tempore Anconæ non ſediſſe Lambertum. Præterquam quod enim eo anno indictio fuit decima tertia, non ſexta; *Joannes* præterea *Bonus* huic Eccleſiæ tunc præerat, ut ex Ughellio. Nec minus certum videtur, ſedere minime potuiſſe Rodulpho primo Priore. Etſi enim anno Prioratus ejuſdem decimo, qui fuit 1083. indictio ſexta cucurrerit: cum tamen Templum Anconitanum nondum tunc fuerit renovatum, ut obſervavimus, non potuit eo anno Epiſcopus eſſe Lambertus, quem vixiſſe poſt templum renovatum ſupra probavimus. Remanet igitur, ut ea donatio facta fuerit a Lamberto anno 1158., quo & ſexta fuit indictio, & Rodulphus Secundus Prioratus ſui annum agebat ſeptimum.

XXVI. *Gentilis* Lambertum, *Rodulphus* Gentilem, *Beroaldus* Rodulphum ſequitur, ut ex Ughellio. Sunt qui Beroaldum Rodulpho præponant, propterea quod Beroaldum memoratum inveniant anno 1186. (1) Rodul-

(1) In diplomate Henrici Imp. ad Abbatem novi portus, quod eſt apud Ughell.

Rodulphus Epiſc. utrum Beroaldo præiverit.

Rodulphum vero anno 1192. (1). Difficultatem hanc tamen facile ſolvet, qui animadverterit in eo monumento Florentini Angelorum Cœnobii commemorari quidem Rodulphum anno 1192., ſed tamquam qui *olim Anconitanus Epiſcopus fuerit etſi adhuc vivens*: non qui Eccleſiæ Anconitanæ eo anno præeſſet. Ex quo illud inferre poſſumus, Rodulphum a Magiſtratu ſe abdicare debuiſſe. Nam anno 1186. in ea Cathedra ſedentem Beroaldum ſignificat Henrici Imperatoris diploma ad Abbatem novi portus apud Ughellium, in quo *Bertaldus* denominatur. Ceterum impletam fuiſſe a Rodulpho Sedem Anconitanam anno 1180. menſe ſextili poſtquam Sacræ Eremo Camaldulenſi, ordinique univerſo iterato præfuerat, certiores nos faciunt indubia ejuſdem Ordinis monumenta (2). Hic vero prætermittendum non eſt, inter alia prædicti diplomatis menda illud etiam haberi apud Ughellium, quod Henricus ibi dicatur in titulo, *Divina favente clementia Romanorum Rex, & Imperator Auguſtus*, Ibi enim, ut Corſinus legens advertit, eſt ſcriptum = *Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus*. & revera eo anno Italicum ſolum Regnum Henricus iniverat adhuc vivente Friderico Patre Imperatore, & in ipſo diplomate regali ſe officio fungi teſtatur, non imperiali.

Gerardus Ughellio non notus Ancon: Epiſc: ſæculo decimo tertio.

XXVII. Beroaldo ſuffectus proxime *Gerardus* alter creditur, Ughellio non notus. Quemadmodum vero ignoramus, quo anno vitam finiverit Beroaldus, ita etiam quo anno præfectus fuerit Anconitanæ Eccleſiæ Gerardus. Id unum ſcimus, Beroaldum anno 1192. die Septembris ſecunda adhuc fuiſſe viventem.

(1) In monum. Florentini Cœnobii Angelorum, de quo Ughellius ad hunc.

(2) Ex Archivo Camald. Vide Coletum in addendis tom. X. ad Anconit. Vide Annal. Camald. tom. 3. pag. 318.

tem. Monumentum enim a viro Cl. Abbate Mittarellio nobis humaniſſime communicatum ex tabulario Camaldulenſium ſignificat, ea die *refutaſſe Domino Paulo Monacho Camaldulenſi recipienti pro Eremo Camaldulenſi, & monaſterio ſanctæ Helenæ ordinis prædicti de omni lite inter eos nata occaſione quarumdam rerum ablatarum ex ipſa Eccleſia Anconitana* (1). Fortaſſe vitam ad ſæculum decimum tertium, & ad tempora poſteriora protraxit. Prima enim quæ de Gerardo eidem ſuffecto habemus certiſſima monumenta, annum non excedunt 1216, quo in quæſtione habita pro libertate ſacræ eremi inter Guidonem generalem Camaldulenſium Præpoſitum, & Martinum Arretinum Epiſcopum agitata a pluribus teſtibus dicitur Epiſcopus Anconitanus, etſi fortaſſe a tempore ſuperiori, ut nos idem D. Rm̃us Abbas Mittarellius admonuit. Coletus quidem adhibita auctoritate *Reverendiſſimi P. D. Abbatis Canneti* collocatum aſſeruit in Cathedra Anconitana Gerardum anno 1204. cum vicarias ageret partes Martini ſecundi Eremi Camaldulenſium Prioris, & Generalis (2). Attamen eruditiſſimus Mittarellius, cui Ordinis ſui Cronographo adhibendam cenſeo majorem fidem, certiorem me per ſuas humaniſſimas litteras fecit, adfuiſſe quidem Gerardum in eo munere Martino Priori, & Generali, qui e vivis exceſſit anno 1205; ſed de inito a Gerardo anno 1204. Anconitano Epiſcopatu nullum mihi protulit monumentum.

XXVIII. Præter adducta plura alia non deſunt de Gerardo hoc Epiſcopo monumenta, quæ Ughellium latuerunt. Anno 1224. cum Templum Sancti Salvatoris, quod nunc a Sancto Peregrino Sanctaque Tereſia,

(1) Tom. 4. Annal. Camaldul.
(2) Tom. X. in addendis ad Anconitanos.

Digitized by Google

reſia denominatur, renovaretur eo Pontifice, inventa ſunt Sacra Corpora Peregrini, Erculani, atque Frabiani, ut marmoreus indicat lapis parieti Templi proximi affixus, in quo ita legitur = *Subtus lapide iſto corpora Sanctorum inventa fuerunt ſub Anno Domini* 1224. *temporibus Honorii Papæ, & Domini Friderici Imperatoris, & Domini G. Anconitani Epiſcopi die* 2. *intrante Menſe Madio, Indictione XII.* & paullo infra *A. D. D. in Eccleſia iſta requieſcunt corpora Sanctorum Peregrini, Erculani, atque Frabiani*.

XXIX. Hic ille Epiſcopus eſt, qui cum eadem prima ſola littera G. notatus recurrit in confirmatione numeri duodenarii facta pro Anconitano Canonicorum Collegio a Gregorio Papa IX. Idibus Julii Pontificatus anno XII., qui fuit Chriſti 1239. juxta ea, quæ ab eodem Anconitano Epiſcopo fuerant ante aliquot annos determinata in hunc modum = *Nos veſtris poſtulatis grato concurrentes aſſenſu duodenarium Canonicorum numerum Te, Fili, Priore computato, quod bonæ memoriæ G. Anconitanus Epiſcopus in Eccleſia veſtra ſtatuit, confirmamus*. Statutum vero fuiſſe a Gerardo numerum hunc Canonicorum anno 1225., colligimus ex aliis Honorii Tertii litteris eo ipſo anno ad Canonicos datis, quibus eum numerum in eorum Collegio confirmat, *quem Venerabilis Frater noſter Anconitanus Epiſcopus ſtatuit*. Neque ſuſpicari poſſumus per innominatum illum Epiſcopum G. alium fortaſſe a Gerardo connotatum. Etenim ex diplomate Gregorii IX., quo anno 1227. illi committit, ut Senatum Fanenſem anathemate feriat; niſi quæ Abbati Sancti Paterniani bona rapuerat, illico redderet (1), & ex publicis Gerardi ejuſdem litteris anno eodem datis, quibus eidem Senatui anathe-

(1) Ammian. hiſt. Fan.

thematis pœnam intentat ex mandato Summi Pontificis, ni protinus pareat (1), eo anno adhuc viventem cognoſcimus. Fortaſſe adhuc erat in vivis anno 1231., quo eum in alio Gregorii IX. diplomate pro Monaſterio Portus novi memoratum ſe legiſſe teſtatur Landus Ferrettus: etſi non explicet adhuc ne viventem, an vita jam functum. Anno 1228. adhuc certe inter viventes fuiſſe ſequens teſtatur inſcriptio Anconæ prope Templum Sancti Primiani recenter inventa.

Anni [ſic] *Domini MCCXXVIII. tempore Domni Gregorii Papæ, & Domni Friderici Romanorum imperatoris & Venerabilis Patris Gerardi Anconitani Epiſcopi factum eſt hoc opus per manus egregii Marcellini Magiſtri de Ugolino.*

F. Rufinus Lupatus non fuit Epiſcop. Anconitanus anno 1222.

XXX. Itaque ex his nemo non videt, emendandum Ughellium, qui Fratrem Rufinum Lupatum Patavinum Ordinis Minorum Epiſcopum Anconitanum affirmat anno 1222., eumque auctorem facit decreti de non augendo in Cathedrali Anconitano Templo duodenario Canonicorum numero ab Honorio III. anno, ut inquit, 1225. poſtea confirmati. Emendandus etiam in eo, quod datas affirmet a Gregorio IX. Apolicas illas, quas recitat, litteras ad Rufinum Epiſcopum anno 1233., ut Senatum Anconitanum Eccleſiæ Romanæ hoſtibus adhærentem revocaret ad ſaniora conſilia, reluctantemque percuteret apoſtolico fulmine. Tantum abeſt, ut datæ ad Rufinum ſint eæ litteræ, ut potius inſcriptæ ſunt = *Poteſtati & Populo Anconitano*. Immo nec Epiſcopum Anconitanum in iis commemoratum invenio: quin contra pro Anconitano Epiſcopum Auximanum, cui uni commiſſam lego curam de coercenda puniendaque Senatus, Populique Anconitani temeritate. Ex quo illud mihi videor inferre

Neque anno 1233.

(1) Ibid.

ferre probabiliter poſſe, Gerardo ad ea tempora fortaſſe defuncto, nullum urbi pervicaci in pœnam ſceleris datum tunc fuiſſe Paſtorem, eamque Eccleſiam vacare debuiſſe, quoad uſque Senatus Populuſque facti pœnitentes veniam peterent, & impetrarent. Si enim eo anno ſedem hanc vel Gerardus, vel quis alter implebat, cur Gregorius reprehendendos, caſtigandoſque Anconitanos Auximano non Anconitano committit Epiſcopo?

XXXI. De F. ipſo *Rufino Lupato* Patavino Ordinis Minorum dicendum nunc aliquid ſupereſt. Epiſcopum hunc ex Waddingo accepit Ughellius: Waddingus ex Rodulpho Toſſiniano, qui eum Epiſcopum aſſerit Anconitanum anno 1222. (1). Cum vero animadverterem eo anno huic Eccleſiæ præfuiſſe Gerardum, qui eam ab anno ſaltem 1216. ad annum 1228., alioſque fortaſſe ſequentes adminiſtravit, ut vidimus, ſuſpicatus primo ſum, F. Rufinum de ſede motum ſua ad eum annum fuiſſe retractum, cum eſſet Gerardo in ſerie proxime ſufficiendus. Confirmabar in hac opinione animadvertens, anno 1222. adhuc in vivis fuiſſe Sanctum Franciſcum Minorum Patriarcham, qui anno ſolum 1227. ad æterna præmia vocatus eſt. Eo vivente facile non credebam, in Ordine auſteriſſimo F. Rufino aditum ad dignitates Eccleſiaſticas patuiſſe. Re tamen attentius conſiderata in cognitionem veni a Serie eſſe delendum. Neque enim reperio, aut ſæculo eum vixiſſe decimo tertio, ſed decimo ſexto, aut in Cathedra Anconitana ſediſſe, ſed deſignatum fuiſſe Archiepiſcopum ex Scardeonio quidem *Anconitanum*, ex Rodulpho Toſſiniano *Arconitanum*. De Rufino Lupato Minorita Patavino omnium, quem ſciam, primus ſermonem inſtituit

F. Rufinus Lupatus vixit Sæculo decimo ſexto: neque unquam fuit Epiſcopus.

F Ber-

(1) Hiſt. Seraph. Relig. lib. 2. pag. 233.

Digitized by Google

Bernardinus Scardeonius ſcriptor ejuſdem ævi, & ætatis. Igitur ad veritatem de F. Rufino explorandam ipſum primum præſtat audire (1). En, quo illum elogio ornaverit Scardeonius (2). *Inſigne, & celebre nomen fuit ævo noſtro RUFINI LUPATI MINORITÆ, quod in prædicatione Sacroſancti Evangelii ſua ſibi doctrina longe lateque in univerſa Italia comparavit: Et propterea non eſt hic a nobis ullo pacto tacendus. Is enim præter humanarum, divinarumque litterarum peritiam, & vitæ ſanctitatem quibus quam maxime præſtabat, extitit etiam in Eccleſia Dei Concionator egregius, tantaque in concionando facundia, & tanto aſſerendæ veritatis ſtudio in docendo, & in reprehendendis vitiis tanta acrimonia præditus, ut quamplurimos a peccatis ad pœnitentiam, & a ſæcularibus curis, & voluptatibus evocatos ad tranquillam vitam, & verum Dei amorem, & Religionem deduxerit. Atque tandem ab Hadriano Pontifice maximo Archiepiſcopus Arconitanus electus, cum eſſet tunc nimio concionandi labore attritus, & corpore invalido, ætate tamen adhuc robuſta, & in dies pro Dei Eccleſia meſſem uberiorem pararet, hinc ab hominibus ad ſuperos feliciter demigravit, ut illius ſancti ſeminis fruges, quod abunde cum lacrymis in terris ſparſerat, centuplum in Cælo cum gaudio, & exultatione demeteret. Obiit anno ſalutis 1522. Sepultus in Templo Sancti Antonii.* Scardeonio conſentiunt & Waddingus, & Toſſinianus, qui etſi Rufinum *Lupatum* in Rufinum *Luparum* mutent, fortaſſe ut alius videatur ab eo, quem Epiſcopum ſtatuunt

(1) Librum ſuum edidit Scardeonius anno 1560. triginta octo annos ab obitu Rufini. Rodulphus vero Toſſinianus anno 1586.

(2) De rebus Patavinis lib. 2. claſſe 7. pag. 153.

ſtatuunt Anconitanum anno 1522., eumdem tamen eſſe, de quo Scardeonius, ex eo facile eſt judicare, quod quæ de eo uterque recitat, paucis mutatis ex Scardeonio uterque mutuatus ſit. Waddingus enim de Monaſterio loquens Sancti Antonii in Urbe Patavina inter plures præclaros viros, qui in eo floruerunt, Rufinum etiam enumerat in hunc modum. *Floruerunt in hoc Conventu viri præſtantiſſimi ..... Claruit quoque F. RUFINUS LUPARUS, qui ſuis Sacris Concionibus per totam Italiam longe lateque magnam ſui nominis famam expandit, qui præter humanarum, divinarumque litterarum non vulgarem peritiam ob ſummam vitæ probitatem maxime præſtabat. Tanta quoque præfulſit in dicendo facundia, & tam vehementi in objurgandis vitiis acrimonia, ut quamplurimos a peccatis ad ſalutarem pœnitentiam ad vitæ tranquillitatem, & ad optimam vivendi rationem evocaverit. Tandem ob Hadriano VI. Anconitanus Epiſcopus electus, ſed corpore invalido, & concionandi labore attrito, ætate licet robuſtus accumulato ſibi honore ad ſuperos feliciter emigravit. Obiit autem anno ſalutis* 1522. Iiſdem omnino verbis in commendandoRufino uſus anteWaddingum fuerat *Rodulphus Toſſinianus*, in eo ſolum a Waddingo diverſus, quod Rufinum pro *Epiſcopo Anconitano* electum dixerit *Archiepiſcopum Anconitanum*. Utrumque, ſi placet, conferatur elogium, & in utroque advertens lector laudationis eumdem fontem, eumdem verborum ordinem, & ſententiarum, eumdem ſtylum, & eadem pene verba, idem in *Rufino Lupato*, quod in *Rufino Luparo* vitæ genus, & inſtitutum, eamdem famæ celebritatem, idem religionis ſtudium, eamdem patriam, eumdem mortis diem, & annum, Rufinum *Luparum*, de quo Rodulphus atque Waddingus, a Rufino *Lupato*, de quo Scardeonius, ut arbitror, non

 diſtin-

diſtinguet: cumque conſideraverit, anno 1222. Rufino Lupato locum eſſe in hac ſerie non poſſe, facile mecum, ut puto, conſentiet, ab anno 1522. ad annum 1222. fuiſſe retractum. In eo autem non immorabor, utrum ſaltem electus fuerit Epiſcopus *Anconitanus* anno ipſo 1522., an potius Acconitanus, ſeu Ptolemaidis in Syria, an etiam Arconitanus, quo nomine quæ urbs ſignificetur, non ſatis intelligo: [Niſi forte *Arcona* urbs fuerit in inſula Maris Baltici Rugia: quod non cenſeo: cum Eccleſiæ, quæ inter hæreticos ſunt, Catholicis Epiſcopis eodem modo quo quæ inter infideles, committi non ſoleant.] Id unum ſatis eſt mihi, deſignari eo anno non potuiſſe Epiſcopum Anconitanum ab Hadriano Summo Pontifice. Eo enim anno præerat Eccleſiæ Anconitanæ Franciſcus Accoltius, qui non niſi anno ſequenti peſte Romæ ſublatus eſt. (1) Rufinum præterea ex Franciſci Accoltii obitu deſignatum nequaquam fuiſſe a Summo Pontifice, ut illi in Anconitana Sede ſufficeretur, ex eo etiam aperte ſignificatur, quod *Balduinettus de Balduinettis* eam implendam acceperit die Martii 15. anni 1523., Petro Cardinali Accoltio, cujus idem Balduinettus erat ex ſorore nepos, abdicante ſibi commiſſam (2). Petrus enim morem ſecutus eorum temporum anno 1514. Franciſcum ex fratre nepotem in Anconitana Sede ea conditione ſibi ſuffecerat, ut eo præmortuo in ea ſibi iterum locus eſſet (3). Cum igitur, Franciſco defuncto, jus priſtinum Petrus Cardinalis recuperaverit; ipſumque paullo poſt in Balduinettum tranſtulerit, non video, quis locus eligendo Rufino eſſe potuerit.

XXXII.

(1) Ex Ughellio ad hunc ipſum. num. 45.
(2) Ex actis Conſiſt. 15. Martii 1523.
(3) Ex Ughellio ad Franciſcum Accoltium in hac ſerie num. 45.

XXXII. Exploſo ab hac ſerie Rufino alium ſubjicio nomine *Perſevallum* a Viro Clariſſimo Mittarellio ad lucem ex tenebris poſt quinque ſæcula revocatum ope monumenti in Tabulario Fontis boni aſſervati, quod eſt veluti quædam ſumma eorum, quæ in Actis amplioribus continebantur. In eo ſic reperitur ſcriptum (1). *Anno* 1239 *die* 19. *Septembris Dominus REUSEUAL* [ſic reperitur ſcriptus; vitiatum tamen id nomen ab eo, qui ea Acta redegit in ſummam, conſtabit ex infra dicendis] *Epiſcopus Anconitanus promiſit Domno Guidoni Priori Camaldulenſi, quod tempore vitæ ſuæ non moleſtabit, nec moleſtare permittet Eccleſiam Sanctæ Luciæ Anconitanæ Diœceſis Ordinis Camaldulenſis, nec gravabit, aut gravari permittet ſpiritualiter, & temporaliter = Berardus Notarius* = Hic igitur Epiſcopus *Perſevallus* collocandus videtur inter Gerardum adhuc in Cathedra Anconitana ſedentem anno 1228., ut obſervavimus, & Joannem Bonum ab Innocentio IV. Summo Pontifice confirmatum anno 1243. Commemoratum hunc ipſum Epiſcopum lego in Epiſcopalibus quibuſdam litteris ad Collegium & Canonicos datis Anconitanæ Eccleſiæ anno 1245. tertio Kal. Martii ab Epiſcopo Joanne Bono, quibus illis ea confirmat, quæ *Ven. Pater bonæ memoriæ PERSEVALLUS olim Prædeceſſor ſuus* Capitulo Eccleſiæ Anconitanæ conceſſerat, *ſcilicet integraliter omnes oblationes, quæ dantur ſeu offeruntur in Eccleſia Anconitana ratione vigiliarum, ſeu anniverſariorum, quæ fiunt pro defunctis in denariis, & in eſculentis, & poculentis, & in quibuſcumque rebus, & oblationibus collatis ratione prædictarum*. Litteras has mihi humaniſſime communicavit eruditiſſimus, qui ſupra, vir Joſeph Garampius ex tabulario Anconitanæ Eccleſiæ a ſe deſumptas.

Perſevallus Anconitanus Epiſcopus Gerardo ſuffectus Ughellio non notus.

XXXIII.

(1) §. Promiſſio, & Fidejuſſio num. 76. Ar. 3. num. 157.

Digitized by Google

Joannes Todeſchius Epiſcopus Anconitanus ſæculo decimo quarto fuit Ordinis S. Auguſtini.

XXXIII. Conqueritur de Ughellio Torellius Sacri Eremitarum Auguſtinenſium Ordinis Chronographus, quod Joannem Todeſchium ex Capitolienſi Anconitanum Epiſcopum renunciatum anno 1349. eripuerit Ordini ſuo (1). Et merito. Ad rem ſuam auctoritate Torellius utitur *Lazzari Bernabei* Hiſtorici Anconitani, qui, ubi de Todeſchio agit, enarratque Cardinali Albornotio Legato Apoſtolico Anconam triumphantis in morem ingreſſuro obviam proceſſiſſe anno 1353., [melius 1355.] Eum vocat Auguſtinienſem; quemadmodum & Saracenus (2). Mihi, quo id confirmetur, aliud ſuppeditat argumentum inventio corporis Sancti Primiani per Georgium Trombam ejuſdem ævi deſcripta. In ea ſcilicet narratione aperte teſtatur Sancti Epiſcopi corpus inventum fuiſſe anno 1370. tempore Epiſcopi F. Joannis ex Ordine Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini (3). Epiſcopum hunc ſanctimoniæ laude præclarum fuiſſe luculentum Urbano Sexto præbuit teſtimonium urbs ipſa Anconitana anno 1375., quod etiam nunc in ejuſdem tabulario aſſervatur.

XXXIV. Quem vocat Ughellius *Nicolaum* de *Fraiapanibus* Anconitanum Epiſcopum anno 1322. *Rainonium* denominatum lego in publicis urbis tabulis (4): quique illi in eadem Sede ſuffectus fuit anno 1344. *Auguſtinus de Podio Lucenſis* fuiſſe dicitur ab Ughellio *Canonicus Sancti Romualdi Camerinæ Diœceſis*: Ego vero Canonicum fuiſſe reperio *Sancti Ramoldi Meclinien. Cameracenſis Diœceſis* non *Camerinæ* (5). Sic etiam Guillelmum, qui Bartholomæum Ullarium exce-

(1) Sæcul. Auguſt. tom. 5.
(2) Notit. Ancon. part. 2. lib. 9.
(3) Extat apud Bollandianos tom. III. Febr. ad diem 23.
(4) Lib. 6. pag. 135.
(5) Ex lib. an. 2. Clem. VII. Antipap. num. 920.

Digitized by Google

excepit anno 1385. (non 1386.) fuiſſe Ughellius aſſerit de *Northmannis* . Mihi vero denominatus occurit *De Vinea* cum in eo diplomate Urbani VI., quo anno ipſo 1385. ſecundo nonas Decembris anno Ejus VIII. eum Anconitanæ præfecit Eccleſiæ (1) : tum etiam in quodam Codice Vaticano, in quo inter eos legitur, qui quarto nonas Novembris anni 1404. conſecrationi Innocentii VII. interfuiſſe dicuntur.

XXXV. Laurentium Riccium, qui ab Innocentio VII. Carolo de Actis in Anconitana Sede ſuffectus fuerat anno 1406., deductum Ughellius ſcribit ad Eccleſiam Senogallienſem a Joanne XXIII. anno 1412. octavo Kal. Januarii; Sed ipſo Joanne interea Summo Pontificatu in Concilio Conſtantienſi ſpoliato in ea Cathedra ſedere minime potuiſſe ante Martinum V., a quo in ea locatum aſſerit Kalendis Decembris anni 1417. Cum vero Conſtantienſe Concilium anno cœperit 1414. nonis Novembris (2) : quomodo Joannes anno 1412. ab eodem Concilio privari potuit Pontificatu? Laurentio Simonem Vigilantium Ordinis S. Aug. ſufficit ab Alexandro V. conſtitutam hujus urbis Epiſcopum. Cum vero Alexander die 17. Junii anni 1409. creatus Pontifex fuerit, die vero Maii tertia anni ſequentis e vivis exceſſerit (3) : qui fieri potuit, ut eo Pontifice Simon Anconitanis præficeretur Epiſcopus, quibus ab anno 1406. ad annum 1412. affirmat præfuiſſe Laurentium? Hujuſmodi electionem per Alexandrum factam [addit Ughellius] cum Joannes XXIII., qui Alexandro V. ſucceſſerat, non probaſſet, deductum aſſerit ab eo Simonem ad Senogallienſem Eccleſiam anno 1413., cedente fortaſſe Laurentio, qui paullo ante in eadem fuerat

Laurentius Riccius, Simon Vigilantius quando, & quamdiu ſederint.

(1) Ex Arch. Vat.
(2) Raynald. ad an. 1414.
(3) Raynald. ad an. 1410.

Digitized by Google

ſuerat conſtitutus. Sed cum Joannes ſedere in Petri Cathedra cœperit XVI. Kal. Junii anni 1410. (1) Simonis electioni refragari quomodo potuit anno 1413., cum ab annis tribus debuerit eſſe Anconitanus Epiſcopus? Hæc igitur confuſa, & perturbata non minus ſunt, quam fuerint ea tempora: proindeque certis monumentis inquirenda horum veritas eſt.

XXXV. Itaque imprimis comperio, Alexandro V. in Petri Sede locato, cum Gregorius XII., qui haberi ſe adhuc volebat, & a pluribus habebatur pro Summo Pontifice præcipue Ariminenſibus, & ut videtur, Anconitanis, de fide Laurentii Riccii Anconitani Epiſcopi dubitaret, juſſiſſe diligenter inquiri tertio idus Februarii anno ejus Pontificatus IV., ſcilicet 1410., ſibi ne pareret, an Alexandro recenter Piſis electo Laurentius (2). Quid reſciverit, incertum eſt. Certum eſt tamen, Laurentium eo ipſo anno ab eodem Gregorio ab Anconitana Eccleſia fuiſſe ſubductum, ſuffecto in ejus locum F. Simone Vigilantio Ordinis Sancti Auguſtini generali Vicario. Id enim aperte tradunt Gregorii ejuſdem litteræ Cajetæ datæ tertio Idus Aprilis anno ejus Pontificatus IV. (3). Quid factum tunc fuerit de Laurentio, incompertum eſt. Non ſolum enim mihi hactenus nullum datum eſt certum legere monumentum, quo Eccleſiæ Senogallienſi eo anno præfectus fuiſſe dicatur; ſed a Gregorio præfici nequiviſſe ex eo facile colligo, quod eo anno Cathedram Senogallienſem implebat Joannes Uguicciolus ex Faetana gente Ariminenſis, Malateſtis principibus, proindeque ipſi Gregorio cariſſimus, eamque ex tabulis Senogallienſibus tenuit ad annum uſque 1413, quo vitam cum

(1) Rayn. ibidem.
(2) Ex lib. 6. Bull. pag. 122. in Vatic. Arch.
(3) Ex authographo in Arch. Cath. Ancon.

cum morte mutavit (1). Suſpicor Laurentium in Alexandri prius, poſtea in Joannis XXIII. partes deſcendiſſe, proindeque de Anconitana Sede a Gregorio dejectum; ad Joannem cum Laurentius confugiſſet, ab eo Senogallienſem Epiſcopum declaratum, Joanne Ugucciolo, qui Gregorium Pontificem venerabatur, eo Pontificatu ſpoliato: ſed Ugucciolo Malateſtorum potentia ſua ſe in ſede uſque ad obitum conſervante Laurentium in eam aſcendere uſque ad Martini V. tempora nequiviſſe. Quid quid tamen fuerit de Senogallienſi Laurentii Pontificatu, eum tunc deſcendiſſe de Sede Anconitana, ipſamque impletam tunc fuiſſe a Simone, ex eo perſuadeor, quod anno 1412. a tempore ſuperiori hanc ipſam Eccleſiam Simon adminiſtrabat. Eo enim anno die Decembris 18. Joannes XXIII. Anconitano eum Pontificatu ſpoliare conatus eſt: quemadmodum & Antonium de Fabriano Humanatenſi, altero Epiſcopo utrique ſuffecto. Neuter tamen de ſede creditur deſcendiſſe, contra acriter ſtante Anconitano Senatu, qui Joannis decretis nihili factis [Gregorium XII. Summum Pontificem probabiliter una cum Malateſtis Ariminenſibus adhuc venerabatur] mordicus utrumque retinendum decrevit (2). Petrum tamen ex nobiliſſima Ferretta familia a Joanne Simoni ſuffectum anno 1413. decimo quarto kal. Januarii Ughellius aſſerit ex ejuſdem Joannis diplomate apud Ferrettos Comites: eumdemque in poſſeſſionem etiam immiſſum, quamvis Simone accerrime reſiſtente, & vim vi pertinaciſſi-

(1) Tiraboſch. ex actis Cancellariæ Senogall. apud Ughell. tom. 2.

(2) Ex libr. Ref. Ancon. in quo pag. 137. hæc leguntur. *Commune Anconæ voluit, quod Ambo remanerent: Etſi alius Epiſcopus Anconæ non gratus, & acceptus huic Communi venerit, detur modus, quod ſaltem per ripam Epiſcopatus.* Ex conſilio in hac re præſtito a quodam N. N.

me repellente (1). Quidquid tamen de Petro fuerit, id certum eſt, Simonem inveniri denominatum Anconitanum Epiſcopum anno adhuc 1416. in Conſtantienſi Concilio (2); nec a Martino V. ad Senogallienſem deductum ante annum 1418. ſecundo nonas Martii [non 1419. ut affirmat Ughellius], quo locum fecit in Cathedra Anconitana Aſtorgio a Melphienſi tranſlato, ut ex ejuſdem Summi Pontificis litteris Florentiæ datis anno Pontificatus ſui ſecundo (3): in quibus illud debet animadverti, Anconitanum adhuc Epiſcopum denominari. Itaque Eccleſiam hanc ab anno 1406. ad annum 1410. Laurentius adminiſtravit: ab anno 1410. ad 1418. Simon Vigilantius a Gregorio XII. deſignatus: ita tamen ut ab anno 1413. cum Petro Ferretto, qui electus fuerat a Joanne XXIII. de Pontificatu contenderit: ab anno 1418. ad annum 1436. Aſtorgius, inde Joannes, de quibus conſulendus Ughellius.

XXXVI. Aſtorgium igitur Beneventanæ Eccleſiæ permiſſum Joannes excepit a Signina ad Anconitanam Inſulam accerſitus pridie nonas Junii anno 1436. Pontificatus Eugenii IV. ſexto. De Signino ejuſdem Pontificatu Lucentius dubitat; propterea quod in ea Serie eum Ughellius non collocaverit. De eo tamen certiores nos faciunt tabulæ Vaticanæ (4), quæ duos in Serie Signina ſuperaddendos Epiſcopos admonent, Joannem hunc, & Ludovicum. Ad paucos menſes hanc ſedem Joannes tenuit. Duodecimo enim kal. Martii anni ſequentis collocatum in ea legimus Joannem Caffarellium a Forolivienſi traductum (5).

UGHEL-

(1) Ughellius ad hunc.
(2) Conſule ſeſſ. 20. eo anno habitam, cui etiam ſubſcripſit *Simon Anconitanus*.
(3) Aſſervantur in tabulario Cathed. Anconit.
(4) Ex libr. obblig. tom. 66. pag. 28.
(5) Ex libr. obblig. tom. 66. pag. 32.

UGHELLIANA

Anconitanorum Epiſcoporum Series.

1 S. Cyriacus (1)
2 S. Primianus (2)
3 Marcus (3)
4 Thraſo (4)
5 S. Marcellinus
6 Thomas
7 Severus (5)
8 Joannes (6)
9 Ruſticus ex Luc. (7)
10 Mauroſus
11 Joannes
12 N. forte Villateus ex Luc.
13 Tigrinus
14 Leopardus
15 Paulus
16 Bnolergius
17 Erfermarius
18 Thraſonus
19 N. .... ex Lucent. (8)
20 Gentilis

21 Ro-

(1) De eo vide ſupra n.II., & ſeqq.
(2) De eo vide ſupra num. XI.
(3) De eo vide ſupra num. XI.
(4) De eo vide ſupra num. XII.
(5) De eo vide ſupra num. XIV.
(6) De eo vide ſupra num. XVI.
(7) De eo vide ſupra num. XVI.
(8) De eo vide ſupra n.XXIII.&ſeq.

UGHELLIANA

Anconitanorum Epiſcoporum Series emendata.

1 S. Cyriacus
2 N. .... (1)
3 S. Marcellinus
4 Thomas
5 Severus
6 Florentius (2)
7 Mauroſus
8 Joannes
9 Villateus
10 Tigrinus
11 Leopardus
12 Paulus
13 Bnolergius, qui & Belongerius,&Bnolericus (3)
14 Erfermarius
15 Thraſonus (4)
16 Stephanus (5)
17 Gerardus I. (6)
18 Transbertus (7)
19 Marcellinus (8)
20 Bernardus (9)

 21 Lam-

(1) De eo vide ſupra num. XXIII.
(2) De eo vide ſupra num. XVI.
(3) De eo vide ſupra num. XVII.
(4) De eo vide ſupra num. XIX.
(5) De eo vide ſupra num. XX.
(6) De eo vide ſupra num. XXI.
(7) De eo vide ſupra n.XXII.&ſeq.
(8) De eo vide ſupra n.XXII.& ſeq.
(9) De eo vide ſupra n.XXII.&ſeq.

UGHELLIANA

Anconitanorum Epiſcoporum Series.

21 Rodulphus
22 Beroaldus
23 Rufinus Lupatus (1)
24 Joannes Bonus
25 Petrus Capoccius
26 Berardus, qui & Bernard. de Podio
27 F. Nicolaus de Ungaris
28 Thomas de Murro
29 Nicolaus de Fraiapanibus (2)
30 Auguſtinus de Podio
31 Hugo de Monaſterio de Auriaco
32 F. Lanfrancus Salvettus.
33 F. Joannes de Tudeſchis (3)
34 F. Bartholomæus Ullarius
35 Guillelmus de Northmannis (4)
36 Carolus de Actis
37 Laurentius Riccius (5)
38 F. Simon de Vigilantibus (6)

39 Pe-

(1) De eo vide ſupr. n. XXXI. & ſeq.
(2) De eo vide ſupra num XXXV.
(3) De eo vide ſupra num. XXXIV.
(4) De eo vide ſupra num. XXXV.
(5) De eo vid. ſup. n. XXX I. & ſeq.
(6) De eo vid. ſup. n. XXXVI. & ſeq.

UGHELLIANA

Anconitanorum Epiſcoporum Series emendata.

21 Lambertus (1)
22 Gentilis
23 Rodulphus (2)
24 Beroaldus (3)
25 Gerardus II. (4)
26 Perſevallus (5)
27 Joannes Bonus
28 Petrus Capoccius.
29 Bernardus de Podio
30 F. Nicolaus de Ungaris
31 Thomas de Murro
32 Nicolaus de Frajapanibus.
33 Auguſtinus de Podio
34 Hugo de Monaſterio de Auriaco
35 F. Lanfrancus Salvettus
36 F. Joannes de Tudeſchis
37 F. Bartholomæus Ullarius
38 Guillelmus Northmannus

39 Ca-

(1) De eo vide ſupra num. XXVI.
(2) De eo vide ſupra num XXVII.
(3) De eo vide ſupra num. XXVII.
(4) De eo vid. ſup. n. XXVIII & ſeq.
(5) De eo vide ſupr. num. XXXIII.

Digitized by Google

UGHELLIANA

Anconitanorum Epiſcoporum Series.

39 Petrus Ferrettus (1)
40 Aſtorgius Agnenſis (2)
41 Joannes (3)
42 Joannes Caffarellius (4)
43 Agapitus Ruſticus
44 Antonius Fatatus
45 Benincaſa
46 Joannes Saccus
47 Petrus Card. Accoltius (5)
48 Franciſcus Accoltius (6)
49 Balduinettus (7)
50 HieronymusGranderonius
51 Jo. Matthæus Lucchius
52 Vincentius Lucchius
53 CarolusCard.deComitibus
54 Julius Card. Sabellus
55 Aloyſius Gallus
56 Jo. Nicolaus Card. de Comitibus
57 Marcellus Card. de Aſte

(1) De eo vide ſupra n. XXXVII.
(2) De eo vide ſupra n. XXXVII.
(3) De eo vide ſupra n.XXXVIII.
(4) De eo vide ſupra n. XXXVIII.
(5) De eo vide ſupra num XXXII.
(6) De eo vide ſupra num. XXXII.
(7) De eo vide ſupra num. XXXII.

UGHELLIANA

Anconitanorum Epiſcoporum Series emendata.

39 Carolus de Actis
40 Laurentius Riccius
41 F. Simon Vigilantius
42 Petrus Ferrettus
43 Aſtorgius Agnenſis
44 Joannes Signinus olim Ep.
45 Joannes Caffarellius
46 Agapitus Ruſticus
47 Antonius Fatatus
48 Benincaſa Benincaſius
49 Joannes Saccus
50 Petrus CardinalisAccoltius
51 Franciſcus Accoltius
52 Balduinettus
53 Hieronymus Granderonius
54 Matthæus Lucchius
55 Vincentius Lucchius
56 CarolusCard.deComitibus
57 Julius Card. Sabellus
58 Aloyſius Gallus
59 Jo. Card. de Comitibus
60 Marcellus Card. de Aſte
61 JO.BAPTISTA BUSSIUS

Viterbii nobili natus genere cum adoleſcens ad Romanam Rempublicam acceſſiſſet, magna dedit argumenta probitatis, & æquitatis. Itaque expletis aliquot ex primis magna cum laude muneribus ad difficiliora, & præ-

Digitized by Google

& præclariora ſibi viam aperuit. Multis in locis præcipue apud Cæſarem in Germania Apoſtolici, ut ajunt, Nuntii perſonam magna nominis commendatione ſuſtinuit. Ea legatione peracta, ab Eccleſia Tarſenſi, cujus jampridem Archiepiſcopus fuerat, ad Anconitanam deductus eſt undecimo Kal. Martias anno 1710.; exactoque biennio a Clem. XI. inter Patres Eminentiſſimos recenſitus. Delatæ purpuræ dignitate magis magiſque ad præclara quælibet incitatus vigilantia, prudentia, integritate, omnibuſque virtutibus in Eccleſia adminiſtranda ita reſplenduit, ut Civitas Anconitana ejus effigie in publicis ædibus ſolemniter collocata hoc illi monumentum inſcriptum eſſe voluerit.

Emo, ac Rmo Principi
Dño Jo. Baptiſtæ Buſſi S. R. E. Card.
Ampliſſimo
Defenſori ſuo amantiſſimo
Civi Antiſtiti Parenti
Beneficentiſſimo
Hoc grati animi monumentum
S. P. Q. A.
Quadraginta Procerum Conventus
Anno Sal. MDCCXXII.
Erigendum curavit.

Hac tanta celebritate famæ cum eſſet etiam Benedicto XIII. Summo Pontifici quam maxime commendatus, iis cognoſcendis, quæ ad Sacram Lauretanam Domum pertinent Apoſtolica auctoritate præfectus eſt. Quod munus tanta prudentia & dexteritate ab ipſo expletum eſt, ut & in maximam religioſi ejus loci utilitatem & amplam ſui nominis gloriam redundaverit. Romam profectus deceſſit e vita 23. Decembris anni 1726. annos natus 70.
elatuſ-

Digitized by Google

élatuſque eſt in S. Mariæ de Aracœli, cujus gerebat titulum. Ejuſdem tamen oſſa delata ad Baſilicam Sanctæ Mariæ trans Tyberim ibi in familiæ ſuæ Sacello condita ſunt hoc in eleganti Sepulchro adiecto epitaphio.

D. O. M.
Joanni Baptiſtæ Buſſio Viterbien.
Card. Tit. S. Mariæ In Ara Cæli
Ad quam dignitatem
Singularis probitas, Sacrorum dogmatum peritia
Ac rerum gerendarum prudentia
In Bruxellenſi, Colonienſi
Apoſtolici Nuncii Munere
Cum Hollandiæ extra Ordinem Cura
Quatuor ſummis Pontificibus plaudentibus
Erga pauperes quoque, ac debiles Charitas
Atque in Anconitano Epiſcopatu
Indefeſſi labores
Reſtitutuſque Euchariſtiæ, ac Sanctorum cultus
Profuſæque largitiones
Evexerunt
Tumulum hunc
Nepotes ex Fratre mœrentes
Poſuere anno Domini MDCCXLII.
Obiit X. Kal. Jan. anno Dñi MDCCXXVI.

61 PROSPER LAMBERTINIUS Bononiæ nobiliſſimis Parentibus natus, poſt ſedulam a prima uſque ætate impenſam operam litteris

in

in Patria Scientiarum omnium, & Diſciplinarum altrice, tum in Collegio Urbis Clementino tam improbum, & pertinax ſtudium in Jure Civili & Canonico collocavit, ut brevi in Romana Curia Advocati munus cum gereret, nemini vel doctrinæ præſtantia, vel nominis celebritate concederet. Neque ſolum in Juris prudentia omnium facile princeps, ſed Theologiæ etiam rei dogmaticæ, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ peritiſſimus graviſſimas ſæpe quæſtiones, quæ ad eas diſciplinas ſpectarent, maximo omnium plauſu in nobilioribus Urbis Accademiis erudite tractavit, & eleganter. Cognita hominis fama, atque doctrina eum Clemens XI. æquiſſimus ingeniorum æſtimator Sacræ, ut vocant, Conciſtorialis Aulæ Advocatum primo renunciavit, mox inter Romanos adſcriptum Præſules, auctumque Canonicatu in Baſilica Vaticana Promotoris Fidei munere [quod iis ſolum committitur, qui doctrinæ, & Critices laude inter alios excellere dignoſcuntur] ornavit. Primus hic gradus ad honores ad dignitates, ad ſupremum in Terris imperium. Jura etenim Fidei virtuti ſuæ commiſſa ſic erudite ſic ſancte aſſeruit, & fortiter, ut brevi quantus eſſet toti Chriſtiano Orbi patuerit. Somno & quiete ſibi ſeverius interdictis quidquid optari poteſt ad optimam tractationem cauſarum, quæ de Chriſtianis heroibus inter Beatos vel Sanctos referendis aguntur, ad cognoſcendas diſtinguendaſque virtutes, quæ Cælo inferunt homines, eoſque Superis æquant ad conſervandas exornandaſque, quæ ad Eccleſiam pertinent novas, & veteres cærimonias, id omne evolvit, pervidit, ſcripſit diligentiſſime. Factum hinc eſt, ut, cum de hoc argumento tanto ſtudio ſedulitate diligentiaque quotidie tractaret, & reſponderet, factum inquam eſt, ut certa ab incertis ſumma facilitate ſejungeret, dubia explicaret, declararet obſcura, difficultates dirimeret, ſcrupulos etiam poſteris fortaſſe temporibus orituros admirabili ingenii felicitate detegeret, & explanaret. Iccirco quotquot erant ea tempeſtate ſapientes viri, quotquot nunc ſunt hanc ei laudem jure concedunt, neminem ante Lambertinium extitiſſe, qui majori cum laude Promotoris Fidei perſonam ſuſtinuerit, qui tam copioſe, docte, feliciter, graviter de Sanctorum,

rum,

Digitized by Google

rum, & Beatorum Cauſis ſcripſerit: fatenturque hoc argumenti genus factum ſuum eſſe a Lambertinio, & vere aurea illius Opera & inſtituendis, & dirimendis in hac re controverſiis omnibus abunde ſufficere. Nec vero in hoc uno argumenti genere ſe admirandam dedit Lambertinii virtus, & eruditio; ſed cum in dies novæ quæſtiones ad rem ſive Eccleſiaſticam, ſive politicam pertinentes ad Clementem XI. deferrentur, Princeps ſagaciſſimus viri eruditione explorata, graviora cum illo negotia, quæſtioneſque communicabat. Ab eo proinde ſemper in dies prodibant antiquæ, & recentioris eruditionis pleniſſima opuſcula, quibus nihil terminandis quæſtionibus accomodatius. Nec minus frequentia aut egregia dedit argumenta doctrinæ, cum poſtea una cum Promotoris Fidei munere Secretarii etiam, ut vocant, Congregationis Concilii illi onus adjectum eſt. Cujus rei certiſſimum nobis præbent argumentum plurimæ illæ, eæque luculentiſſimæ diſſertationes, quæ inter publica Congregationis ejuſdem decreta typis impreſſæ gravioribus in re Canonica enodandis difficultatibus pro futuris etiam temporibus Doctorum omnium conſenſu aptiſſimæ judicantur. Itaque Virum & ſingulari ſapientiæ laude excellentem, & diutinis perfunctum laboribus Benedictus XIII. P. M. quinto Idus Decembres anno *1726*. S. R. E. Cardinalem creavit; quam tamen ei dignitatem non antea publice detulit, quam pridie kal. Majas anno 1728: Cum interea adempta illi Eccleſia Theodoſienſi decimotertio kal. Februarias anno *1727*. ad procurandam Anconitanam Eccleſiam eum Summus idem Pontifex admoviſſet, & permiſiſſet, ut Archiepiſcopalem titulum interea retineret, variaque illa munerum genera, quæ prius obire in Romana Curia conſueverat, exercere pro ſuo arbitrio proſequeretur.

Anconam ut venit, ſuaque in Sede locatus eſt, Gregis ſui ſalute ſibi propoſita, nihil eſt, quod ad eam procurandam verbo, exemplis, ſanctionibus fecerit reliqui. Cumque eſſet potens & exhortari in ſana doctrina, & eos, qui contradixiſſent arguere, facile obtinuit, ut quæ erant vitia profligarentur. Proventibus præterea Epiſcopalibus inter pauperes inſigni liberalitate diſperſis, hominibus litteratis excultis, Eccleſiaſtica diſciplina in

H Clero

Digitized by Google

Clero qua promota, qua conſervata, omnibus re, gratia, conſilio, præceptis, & inſtitutis adjutis omnes boni Paſtoris partes explevit. Cathedrali præterea Templo, Civitatiſque ſplendori conſuluit. Præter ſiquidem plurimam ſupellectilem ſacram, qua Cathedrale idem Templum inſtruxit, præter minores aras ſplendide reſtitutas, Aram præterea Maximam temporis vetuſtate ſquallentem, & Sedes locumque Canonicorum elegantiſſime reſtauravit: cujus rei monumentum perpetuum hoc extat circa eamdem aram inſcriptio.

Proſper Cardinalis de Lambertinis
Epiſcopus Anconitanus
Altare, & Chorum renovavit anno MDCCXXXI.

Quin etiam publicis viis ejus conſilio, & auctoritate commodius, ſplendidiuſque munitis, ſuis ipſe impenſis viam ejus urbis principem, qua ad Cathedrale Templum aſcenditur, ſtravit. Unde ut accepti beneficii memores ſe Anconitani Cives exhiberent, initio ejuſdem viæ epigraphem in marmoreo lapide poſuerunt. At ecce anno quinto vertente, ex quo Anconitanam Eccleſiam gubernandam acceperat, a Clem. XII. ad Bononienſem Archiepiſcopatum traducitur, relicto Anconæ maximo ſui deſiderio, memoriaque omnibus ſempiterna. Verum habuit ea fauſtiſſima Civitas, quo ſe in ſumma omnium ordinum comploratione, & jactura ſolari poſſet. Eam enim licet abſens ſingulari quodam amore complexus novis ſemper beneficiis cumulavit; atque inter cetera hanc ei prærogativam a Clem. XII. indulgeri curavit, ut Portus ipſius immunitatis jure gauderet; quo factum eſt, ut in eum ex tota Europa longe majori, quam antea numero naves confluerent, & commercium cum ſumma urbis utilitate maximum inſtitueretur. Nec tandem Anconitanam urbem ſibi excidere ex animo paſſus eſt, poſtquam incredibili totius Orbis lætitia communis omnium Eccleſiarum Pater anno 1740. Summum in Terris conſecutus fuit imperium. Honoribus ſiquidem, juribuſque, quibus Pontifices ſuperiores eam ornaverunt, confirmatis, & auctis, inſignioribus Virorum Sanctorum Reliquiis ornatu pretioſo

con-

condecoratis, Cathedrali Templo locupletato, Portu ſumptu maximo amplificato, & contra tempeſtatum vim egregie firmato, renovata commercii, contrahendique libera omnibus facultate ſingularem ſuam erga illam benevolentiam oſtendit. Tantis beneficiis ornati Anconitani Cives Principi liberaliſſimo de Patria optime merito imaginem ſolemniter dedicarunt; Eique ſequens ſubſcripſere in argumentum grati animi honorificum monumentum.

Benedicto XIV. Pontifici Maximo
Anconitanæ Urbis olim Sacrorum Antiſtiti,
Ac Parenti Optimo
Ob
Egregiam tunc navatam Operam
In Reliq. cultu, ac divino Honore amplificandis
In publicis Populi commodis curandis
Munitis Eo auctore viis
Vicorumque aſperitate leni acclivitate emollita
Locupletatis Commercii reſtitutione Civibus
Portuque ejus ſtudio immunitate donato
S. P. Q. A.
MunificentiisPrinc.novis beneficia vetera cumulanti
In grati animi monumentum
M. P. D.

Nicolaus etiam *Mancinfortius*, qui Anconitanam Eccleſiam nunc moderatur tanta cum laude, ut ſuperiorum Epiſcoporum exempla eo Pontifice nemo deſideret, ob ſingularia erga ſe, ſuamque Eccleſiam merita eidem & Epiſcopo, & Principi beneficentiſſimo æternum devinctus, geminautrimque ad aram primam inſcriptione una cum ejus imagine ex marmore collocata, æternam eſſe voluit acceptorum memoriam beneficiorum. Harum autem altera hæc eſt.

 Bene-

Digitized by Google

Benedicto XIV. Pont. Max.
Cujus Liberalitate
Senogallienſem primum Eccleſiam conſecutus
Deinde ad Anconitanam traductus
Summis & immortalibus beneficiis
Indulgentiſſimo Principi
Sentiens in perpetuum ſe eſſe devinctum,
Nicolaus Mancinforte Epiſcopus
Sempiternum ejus erga ſe meritorum teſtem
Hoc monumentum P. anno CIƆIƆCCXLVIII.

Altera vero hujuſmodi.

Benedicto XIV. Pont. Max.
Quod
Anconitanam Eccleſiam ſanctiſſimis rexerit legibus
Innocentia, & ſuavitate morum ornaverit
Præclaris muneribus auxerit
Et
Quam animis Anconitanorum altiſſime impreſſam
Munificentiſſimi Principis memoriam
Nulla delebit oblivio
Ut ipſa etiam imago perpetuo renovaret
Nicolaus Mancinforte Epiſcopus
Anno CIƆIƆCCXLVIII. Poſuit.

62 BARTHOLOMÆUS MASSEJUS Patritius Lucenſis, & Politianus ob ſingulares præclari animi dotes Clem. XI. in paucis charus virtutem ſuam multis Romæ, foriſque muneribus diu probavit, præcipue

cipue in Gallia, ubi Nuncium, ut vocant, Apoſtolicum egit per plures annos magna cum laude. Ubique re bene geſta a Clem.XII. præmium ſacram purpuram tulit inter Cardinales adſcriptus. Poſt geſtam in Æmilia Legationem eadem, qua ſemper, prudentiæ, & integritatis commendatione, duodecimo kal. Junias anno 1731. in Eccleſia Anconitana Lambertinio ſufficitur. Nihil illi antiquius, quam ut hanc partem Dominicæ vineæ Lambertinii ejuſdem opera tam bene cultam diligenter conſervaret, paternoque ſtudio tueretur. Accitis in urbem Anconitanam Deo devotis fæminis, quas Pias Magiſtras vocant, Chriſtianæ Puellarum educationi conſuluit; & quo populus de divinis Fidei noſtræ Myſteriis edoceretur, ſodalitium, quod a Doctrina Chriſtiana appellatur, ad regulam ſeveriorem adduxit, veteribus legibus revocatis, quarum viget aduc in præſens exercitatio. Interim ipſe cum gravem ſe, liberalem, juſti rectique cuſtodem præberet omnibus, comitate præſertim, & morum ſuavitate acceptiſſimum, unus habitus eſt, a quo conceptum ex Proſperi Lambertinii jactura dolorem leniri potuiſſe Anconitanus populus prædicaret. Decorem Domus Dei maxime diligens inſigne ſacellum, quod aſſervandis Sanctorum reliquiis in Eccleſia Cathedrali conſtitutum eſt, nova ara marmorea ſuis in magnam partem expenſis decentiſſime ornavit: atque non procul inde, dum adhuc viveret conditionis humanæ non immemor ſibi ſepulchri locum paravit cum hac inſcriptione, quæ modeſtiæ humillimi Antiſtitis plane reſpondet.

Hic
Expectat donec veniat immutatio ejus
Bartholomæus S. R. E. Cardinalis Maſſeus
Epiſcopus Anconitanus
Orate pro Eo.

Civitatem, quod Hiſpanis favere videretur, ab Anglica claſſe mari, a Germanis terra periclitantem auctoritate ſua tutatus eſt; ab eaque copiarum terreſtrium vim, impetumque prohibuit, magnis ſuſceptis in ſumma ſenectute curis, atque laboribus.

Quamobrem Senatus, Populuſque Anconitanus ſuam erga amantiſſimum Patrem, & Principem obſervantiam aliquo officii genere confirmaturi die 17. Novembris anno D. 1745. ſolemni habita Academia ejus effigiem in publico Urbis palatio dedicarunt, hoc illi appoſito monumento

Bartholomæo Maſſeo S.R.E.Cardinali ampliſſimo
Sac.Antiſtiti Anconitano,Patrono,ac Parenti optimo
Reipublicæ ſecuritatis Cuſtodi Maximo
Mira ſuavitate morum,ſingularique animi comitate
Omnibus Civium Ordinibus acceptiſſimo
Quod
Civitati Qua Terra, qua mari ab hoſtilibus Copiis
Extrema minitantibus
Nec ætati, nec labori parcens
Ingenti cum alacritate
Parta incolumitate proſpexerit
S. P. Q. A.
Ob Civeis ſervatos
Grati animi ergo
M. P. D.

Obiit Anconæ relicto in omnibus deſiderio ſui quam maximo die Novembris vigeſima anni 1745.

63 NICOLAUS MANCINFORTIUS Patrititus Anconitanus, cum Eccleſiæ Senogallienſi præfuiſſet aliquot annis, a BENEDICTO XIV. P. M. ad Anconitanam deductus eſt decimo ſexto kal. Februarii anni 1746. De eo præſtat ſilere, quam ejus modeſtiam laudibus onerare. Votis Senogallienſium atque Anconitanorum vitam diuturnam, felicemque illi precantium Deus faveat, & obſecundet.

APPEN-

APPENDIX X

De Eccleſia, & Epiſcopis Humanatenſibus.

I. DE Eccleſia & Epiſcopis Humanatenſibus ſatis multa apud Coletum (1), a quo plures in ſerie recenſiti Epiſcopi ſunt, de quibus nulla apud Ughellium mentio. Paucula mihi hic remanent ſuperaddenda. Robertum ab Ughellio in hac ſerie poſitum numero IV. ex eo unico fundamento, quod donationi interfuerit per Theodoſium Firmanum Epiſcopum factæ Monaſterio Sanctæ Crucis, ſolidiori monumento, ſi poſſit fieri, confirmandum ſupra in Anconitanis vidimus numero XII., & ſeqq.. Vidonem, qui & Guido, & Hugo, in hac ſerie numero ſexto recenſet Ughellius Lucentio, & Coleto non diſſentientibus. In Concilio Romano ſub Nicolao II. anno 1059. ſubſcriptus reperitur hic Epiſcopus *Numantinus*: & *Nomentanum* fuiſſe, non *Humanenſem* ex eo conſtat, quod *Guillelmus*, qui in Victoris II. diplomate pro Eccleſia Aprutina anno 1056. Humanæ Epiſcopus dicitur, idem in alio diplomate Alexandri II. pro Eccleſia Foroſempronienſi anno 1070. [non 1066., ut oſtendit eruditiſſimus Sartius (2)] eodem modo denominatus occurrit; quemadmodum & in alio ſub eodem Pontifice anno, ut creditur, habito 1071. (3): Anno igitur 1059. *Guillemus* non *Vido*, aut Hugo hanc Eccleſiam adminiſtrabat.

II. Coſmum ſive Coſmatem, qui Romano Concilio interfuit ſub Eugenio II. anno 826, inter Nomentanos Coletus enumerat (4). Cum vero ibi aperte Epiſcopus dicatur *Humanas* (5), Humanatenſibus arbitror accenſendum.

III. Addendus pariter eſt *Guarnerius Humanas Epiſcopus*, qui

(1) Tom. 10. Ital. Sacræ in addendis ad Humanatenſes.
(2) De Epiſc. Eugubinis ad S. Rodulphum num. XX.
(3) Vide Man. ſuppl. Concil. Tom. 3. col. 1383.
(4) Ibid. ad Nomentanos.
(5) Concil. Lab. Tom. 8.

Digitized by Google

qui anno 1306. una cum multis aliis ejuſdem Provinciæ Præſulibus ſpiritualia bona iis eſt elargitus, qui Aram Beatiſſimæ Virginis excitatam a F. Nicolao Epiſcopo Anconitano in majori Templo Sancti Cyriaci frequentaſſent eo die, quo erat paullo poſt conſecranda, aliiſque octo ſequentibus. Monumentum a noſtro Corſino inventum apud Templi Cathedralis Anconitani Canonicos aſſervatur.

IV. Ultimum, qui ante unionem Humanatenſi Eccleſiæ præfuerit, Hugonem dicit cum Ughellio Lucentius anno 1400. Utrumque emendandum patet ex Martini Papæ V. Apoſtolicis litteris anno datis 1422., in quibus ſtatuitur, ut defuncto, qui tum Epiſcopus erat, *Antonio*, vel eo ad aliam Cathedralem deducto, aut eam libere dimittente, *Aſtorgius* Anconitanus Epiſcopus, vel qui eidem in Anconitana Sede ſufficeretur, eam ſtatim regendam, adminiſtrandamque perpetuo ſuſciperet. Anno igitur 1422. Humanatenſis Epiſcopus erat Antonius, qui eo ipſo anno excedere debuit e vivis: cum eo ipſo Aſtorgius *Anconitanus, & Humanatenſis Epiſcopus* denominatus occurrat (1). Hic autem eſt, ex quo contorquear. Etenim non ſolum eſt certum, Hugonem Humanatenſi Eccleſiæ præfectum fuiſſe anno 1400., ſed proxime ſibi ſuperiores habuiſſe duos ſub eodem Antonii nomine Epiſcopos. De eo enim ſic ſcriptum legitur (2) *Hugo Epiſcopus Humanatenſis obligavit ſe in Camera & pro Antonio Prædeceſſore ſuo, & pro altero Antonio Præanteceſſore ſuo, & Petro altero Præantepræcedeceſſore*. Vel igitur Hugonem ſequutus eſt alter Antonius ejuſdem nominis tertius: vel, quod cenſeo probabilius, Antonius ille, qui a Bonifacio IX. anno 1393. conſtitutus fuerat hujus Sedis Epiſcopus, abiverat de Magiſtratu, eumque Pontificatum Hugoni ceſſerat ea conditione iis temporibus minime nova, ut ipſo præmortuo ad eumdem Pontificatum ſibi jus eſſet iterum. Quod ſi verum eſt, vel ante annum 1413. vel eo ipſo Hugo obire debuerat. Eo enim anno Antonium de Fabriano ſedentem monumentum ſignificat apud Senatum Anconitanum,

(1) In Lib. Camerar. ad eum annum.
(2) Ex Lib. Refor. Ancon. pag. 127.

tanum, in quo narratur eum ſpoliatum fuiſſe Pontificatu a Joanne XXIII. die 18. Decembris ejuſdem anni, propterea quod ad eam dignitatem Senatus ejuſdem opera aſcendiſſet, irrito tamen vanoque ſucceſſu.

V. Martinus igitur P. M. cum urbem Humanatenſem multis calamitatibus adeo afflictam, atque proſtratam aſpiceret, ut, ad paucos redactis incolis, Epiſcopus dignitatem ſuam ſuſtinere cum decore non poſſet, eam Eccleſiam unitam voluit Anconitanæ, ita tamen, ut nihil de ſua illi dignitate detractum intelligeretur. Hinc Benedictus XIV. P. M., qui utrique Eccleſiæ præfuerat tanta cum laude, ut ſuum utrique titulum, honoremque ſervaret, datis ad Anconitanum Antiſtitem litteris, juſſit, ut impoſterum & ipſe & qui ipſi in ea Sede ſufficerentur, Anconitani ſimul, & Humanatenſes Epiſcopi dicerentur. (1).

(1) Sunt in Tom. 3. Bull. ejus Pont.

LAUS DEO.

Digitized by Google

Dr [illegible]

– [illegible]

Digitized by Google

DE ECCLESIA
- MARONI

Digitized by Google

005664993

Digitized by Google

Digitized by Google